
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII, PLURIUM ERUDIT. SOCIETATUM SOCII,

TOMUS PRIMUS

RATIONIS MEDENDI
CONTINUATÆ,

IN NOSOCOMIO PRACTICO;
QUOD IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM MEDICINÆ STUDIOSORUM
CONDIDIT

MARIA THERESIA,

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX,
HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.

M DCC LXXI.



PRÆFATIO.



CAnnuo more vice quinta decima meorum edo epitomen laborum. Hanc ut commendem Lectori tam procul quidem abest, ut e contrario quo minus displiceat, pauca præfari oporteat, diversamque prænarrare materiem: ut, qui lecturi Opus sunt, diversi

quippe ſtudii eruditionisque Viri, id in eo ſeligere, quod ipſorum genio accommodatius; id præterire, quod tædioſius foret, commode poſſent. Medica ſcilicet, & Politica tracto. Cum utraque eo, quo hic tractantur, modo, rectâ ad Medicum ſpectent, nihil, quod Medicos præmoneam, habeo: Hos vero, qui populo gubernando, administrandæque ejus ſaluti, admoti, ejusmodi rerum enarratione potiſſimum delectari ſolent, quarum ipſos intereſt, de iis Operis locis, qui tales recondant, præmonere neceſſe eſt.

I. Diſcutit Caput V. de Variolarum inſitarum cum naturalibus Variolis comparatione: de ejusmodi

Va-

Variolarum, natura genitarum, administratione, quæ cives omnium numerosissimos Reipublicæ præ ceteris in vita conservans, tuenda certe, promovendaque, Sapientibus salutis publicæ Moderatoribus videbitur: tandem de Methodo Variolas, in popularitate sua haud perraro populatrices, sic sistendi, ac prævertendi, ut vix adoriantur mortales.

II. Magni ad salutem publicam interest Politicos Viros probe ea adminicula nosse, quæ popularium morborum virulentiam, progressumque, mature sistere queant. Variarum methodorum, cum Contagiosos morbos, tum Pestem ipsam, præ-

cavendi, ſiſtendi, moderandi, recenſionem Caput VIII. ſiſtet: commoda quoque & incommoda, vix evitabilia, Methodi cujusque; quæ præcavere nihilominus, quæ relevare, atque emendare, omnino Magiſtratuum eſt; ut hi normam demum conficiant agendi, quæ, quoad ejus fieri poſſit, commoda ſine incommodis ſit, ſine noxis proficua, & publicæ ſalutis ſervatrix tutiſſima. Haud enim Diatribas meas, propoſitionesque, aptas cenſeo eſſe, quæ in calamitoſis ejusmodi temporibus, quæ averruncet DEUS! exactas formarent agendi leges. Animus unice fuit defectus oſtendere, ſalutisque publicæ neglectus, quibus invita adhuc

huc laboret in horum administratione Politia. Porro etsi illa, quæ ad eosdem sive tollendos, sive diminuendos, candide proposuerim, punctum omne non tulissent, adminiculo tamen fore reor, quo, qui præsunt istis, normam agendi minus defectuosam, minusque noxiam, postliminio condant. Eumque in finem venerandos meos Collegas omnes hortor amice, si in istis penitius me quid prospiciant, melioraque norint, ea proferre in lucem velint, ut civium PATRES de omnium nostrum sinceritate, de candore nostro, deque debito in Rempublicam amore convicti, mutuisque nostris observatis adjuti,

ejusmodi leges in fata talia parent, quæ in omni contagionis tempore cum Veterum errores tollant, tum noſtros quoque minuant, emendentque defectus.

III. Diſplicere quoque Celſo Regimini non poterit altera Operis pars, de Submerſis agens; in qua videbit nullis me ſumptibus, nullis me pepercisſe laboribus, ut clariorem in lucem grande hoc negotium collocaretur, quemadmodum mox pluribus dicam.

IV. Spectabunt tandem ad eosdem graviſſimos Viros ea, quæ Capite de Aquarum potabilium natura, ſalubritate, varietateque, notavi: ut primo ſalubriores communem in potum aquæ internoſcantur,

& deinde, ut ſi qua ſive negligentia, ſive fraudulentia, in aquis variis, quæ vendibiles *Viennæ* proſtant, committi deprehendatur, ea corrigi pro ſuprema eorum ſapientia poſſit. Alterutrum enim vitii genus ſublitefcere neceſſe eſt, cum veneant tot ſpecies Aquarum, (Selteranæ modo exemplo ſint) quarum lagenas bene multas, quod vel fatuæ, vel olidæ ſint, abjicere cogantur potatores; interea dum Magnatum non pauci, Hauſtores earundem perpetui, has a fidis ad ſcaturiginem curatoribus, bis anno transferri curantes, vix paucas inter mille lagenas, minus valentes, rejiciant.

Medicis dixi me nihil monendum habere, quod ad materiæ delectum spectet, cum medicus sit libellus totus; aliquid tamen dicam necesse est, quoad methodum tractandi materiem.

I, Tædiosa multis videri mea Methodus potest, quod non dederit amoenum casuum compendium, verum sigillatim de die in diem, deque hora in horam, phænomena morborum notet; atque functionum diversimodas, assiduoque mutatas, læsiones; medicamenti tandem cujusque & dosin, & effectum, particulatim enarret.

Qui germanas Praxeos regulas in succum, quod ajunt, ac sanguinem converterunt, hi neque nimie-

tate hanc meam Methodum, neque prolixitate, taxabunt: qui vero minus, hi non mihi, ſed ſibi ſuum tædium adſcribant, minime reprehenſuri, ſi parem conſueviſſent admovere ſingulis adnotandis diligentiam. Nunquam mihi in animum inducam, *Hippocratem* æternas ſuas Diagnoſeos, Prognoſeosque, Leges conditurum fuiſſe, ni ex Pugillaribus ſuis, ad Lectos ægrorum conſcriptis, Tabellas ſibi confeciſſet, in quibus ſingulorum ægrorum Diaria, ordine recenſita, mutuoque inter ſeſe comparata, eam ipſi demum certitudinem peperiſſent, qua & in morbis cognoſcendis, interſtinguendis, dirigendisque, & in prænoſcenda eorundem ſorte, jam ultra 2000.

an-

annos claruit, universæque Medicinæ non minus stupori, quam exemplo, fuit. Persuasissimus saltem horum ego, beatum illud mihi otium exopto, ut quas *ultra mille* ægrorum meorum Historias eodem modo conscripserim, in Tabellas conjicere, inter sese comparare, quid aut diversum, aut commune singulæ, quid immutabili lege omnes, quid sibi privum Acutorum species singulæ vindicent, adnotare accuratissime possem; & tandem, *Hippocratis* ad exemplum, ex iisdem in ordinem digestis, in classes divisis, atque in normam redactis, experiri, an Definitiones morborum justas, Regulas prædicendi certas, Curationes tutas fortunatasque nancisci,

atque

atque gaudere, iis in morbis possimus, in quibus præclara *Hippocratis* Opera, vel quod non unus omnia præstare potuerit, vel quod multos oppido morbos, quos nos, non viderit ille, aut partim, aut omnino, deficiunt.

II. Singularem me hominem forte multi habebunt, &, quod priorem sententiam haud raro revocem, plane mutabilem, nec non ab opinione vulgari sæpe alienum, a non paucis dissentientem, pluribusque adversarium. Assertionis argumentum ex iis petent, quæ de Malignarum febrium natura, curaque, scripserim, quæ de Febre, quam *nervosam* appellitant, quæ de San-

guinis natura, deque ejusdem mittendi legibus, quæ denique de cura Peſtis, ſive prophylactica, ſive therapeutica, longe lateque commentatus fuerim.

Porro Singularem habere me ii poterunt, qui præter tritas Scholarum leges nihil ſapiunt: hi vero qui amœno, qui neceſſario, qui aſſiduo Antiquitatis ſtudio, præclariſque præſtantium ſinguli ævi Scriptorum monumentis impalluerunt, ingenue fatebuntur me non, niſi mediocriter doctis, ſingularem poſſe videri.

Neque ob id inconſtantem me quis jure vocaverit, quod nonnunquam cecinerim palinodiam. Si pluries cum aliorum autoritate, tum

pro-

propria experientia, ſententiam amplexus ſum, quam aut veracem, aut vero ſimilem, credideram; novis autem, certioribusque experimentis deprehenderam fallacem; pluriſne me ille faceret veterem opinionem mordicus tuentem, quam, irradiante Veritate, veteris opinionis deſertorem? Veritas dum nos in rerum ſeu divinarum, ſeu humanarum, ſive contemplatione, ſive adminiſtratione, illuſtrat, nos ſic totos rapiat oportet, ut piaculo, ut crimini eſſe ducamus, in veteri errore vel momento perſiſtere, aut pervicaci ſuperbia, ne nos erraſſe fateamur, verum aliis reticere. Si *beata Vita*, ad quam cuncti adſpiramus, dicente *Auguſtino, nil niſi æternum de Veri-*

tate gaudium erit, quid nobis mutuo invideamus beatæ Vitæ in hac mortalitate principium?

Si præterea me quis aliquando offendat a vulgari opinione alienum; jurene, an injuria, id mihi vitio vertat? Si hinc defectus videam, quibus nonnullæ opiniones laborant, illinc vero Antiquorum Medicorum carentem his defectibus sententiam sic, ut ab ea breviorem nobis, tutioremque, ad præcavendos, & curandos morbos, viam intelligam pandi; quo demum jure me quisquam hanc illis præferentem damnet? Neque tamen ideo me solum sapere puto. Quiscumque ille demum eruditorum, candidorumque Virorum fuerit, qui in mea Malignarum, Nervosarumque febrium sive


Theoria, ſive Praxi, defectum ſubolfecerit, lubentiſſime cum illo conferam; & quidem ea ſpe, fore, ut collatis utrinque difficultatibus, ſic id, quod aut forſan ego nimium, aut minus ille, habeamus, deletili ſpongia tergeatur, conficiaturque longe ſalubrior, quam aut ejus fuerat, aut mea, norma agendi. Quibus neque animi livor ineſt, neque altercandi prurigo, ſed ſola Veritas, ac Proximi amor, cordi eſt, hi ſemper ad conferendum me paratum, me facilem, habebunt. Amo tales, venerorque. Muſſitantes duntaxat, latrantesque usque ad ravim Canes, contemnere ſoleo. Atque hæc de prima Operis parte.

In parte *altera* filum, a biennio abruptum, retexo. *Tomo meo XIII*, utilissimam quæstionem, de revocanda Submersorum sopita vita, in me susceperam, quo boni Civis officium explerem, plebem ad exequenda mandata excitando, quæ NOSTRA INCOMPARABILIS AUGUSTA, ut vera Subditorum Mater, ad auxilium hisce miseris præstandum, pro innata sua munificentia præmio Sospitatores remuneratura, publicaverat. Cum autem ipso rerum usu deprehenderem, præjudicium tam altas plebis in animis egisse radices, ut debitam supremæ Voluntati obedientiam negaret; mearum partium esse arbitratus sum Opus, mediis ablatum incudibus,

iis-

iisdem reddere, novisque experimentis urgere; ut tandem quid acceptius, quid publico gratius, quid ad persuadendum efficacius, in lucem prodiret. Quod quo proficuum magis foret, verti in patrium sermonem curavi, ne ultra existere posset quis, qui aut de quo agitur negotium, ignoraret, aut non intelligeret se ad auxilium, Submersis Suffocatisque præstandum, conscientia obligari: Quo autem opportuniora præsidia admoverentur, omnem operam navavi, ut de eo mortis genere liquido constaret, quod istos e medio tollit. Deinde auxiliorum, tam quæ consuetudinis apud Antiquos erant, quam quæ apud

Recentiores moris sunt, genera varia examini, experimentoque subjeci; quid boni, malive singula haberent, discutii; quæque tutiora, ac præstantiora essent, experimentis evici. Tandem experimenta mea veracem ostendent magni *Petri Muschenbroeckii* sententiam, ingenuitate sua fatentis: PAUCA experimenta nos confidentes reddere, audaces, temerarios, gloriosos; MULTA, incertos; PLURIMA denique, ac humanam fere superantia patientiam, ad aliquid concludendum, agendumque, nos eminus præparare.



RATIONIS MEDENDI
CONTINUATÆ

TOMI I.

PARS PRIMA,



DE FEBRIBUS ACUTIS, CUM MALIGNIS VARII GENERIS, TUM PESTILENTIALIBUS.

Cum Bibliopola conqueſtus dudum ſit, quod idem ſemper titulus Operis, longorum annorum ſpatio compoſiti, &, ſi DEO lubet, ultra continuandi, ſibi, ſociisque ſuis, plures ob cauſas moleſtus eſſet; ob idque, *Naturæ Curioſorum*, atque aliorum *periodicorum Scriptorum* exemplo, Titulum ut nonnihil mutarem petiverit; loco *Rationis medendi*, nunc voco eam *Rationem medendi continuatam*: eſtque igitur Rationis medendi hoc ſub titulo PRIMUS TOMUS.

Porro priore titulo prodiere Tomi XIV. quem XV. excipiet, indicem priorum locupletem, & nonnullarum ſententiarum ſive elucidationem, ſive amplificationem, ſive correctionem, daturus.

Elenchus Capitum
PRIMÆ PARTIS.

Ca-

Caput VIII.

De Miliaribus, & Petechiis.

Caput IX.

De Febribus vere malignis.

Caput X.

De Febre pestilentiali.



CAPUT I.

Proſpectus totius hujus primæ partis.

---

§. I.



Anno proxime priore, in XIV. Tomi parte altera, de Peſte egi, acutorum morborum pernicioſiſſimo, eoquod ejus Pertractationem adeo confuſe traditam hucusque vidiſſem, ut quam tandem viam capeſſerent, quam methodum amplecterentur, quem ſe-

querentur autorem, penduli hærerent Tirones. Placuisse doctis in Europa Viris laborem intellexi; nec displiciturum confido quod jam prodo, conamen eo in genere morborum, quæ gravitate symptomatum, quæ signorum pravitate, quæ discrimine vitæ, morteque frequenti, ad Pestem accedunt quam proxime. Id quod eo magis profuturum spero, quo is, quem vivimus, & in quo scribimus, annus, majore eorundem infamia laboraverit.

Sequutus itaque universaliorem Morborum acutorum divisionem in BENIGNAS, & MALIGNAS, malignorum classem præprimis tractabo, Pesti aut propiorem, aut proximam, multaque communia cum Pestis & natura, & cura, habentem. His absolutis ipsam pestem aggrediar.

Benignos morbos acutos Schola Medica appellare eos consuevit, quos

causæ

causæ leviores genuerint; quos ſymptomata conſueta vi, ordine, numeroque, concomitentur; quos vires non admodum deſerant; quos remedia ſolita facile curent; quos Medici ſive pravi, ſive ignari, rarius pejorent; quandoquidem valentior Natura haud morbo duntaxat, verum etiam Sarcinatori cuicumque, viribus præpollet, neque minus inepto, quam apto Medico, famam conciliat, autoritatem, honores, opesque.

Malignum ex adverſo eum vocare morbum ſolemus, qui gravioribus de cauſis natus; qui ſociatus ſymptomatibus, cum vi, numeroque, tum inverſo ordine, multo deterioribus; vel ab ipſo principio, vel ſerius, vires vehementer projectas habeat, nec ſolitæ methodo auſcultet; ſiniſtreque tractatus, & majoris diſcriminis ſit, & frequentioris interitus.

Recentiores Scriptores hic non morabor, qui Malignitatem morborum a cutaneis intelligant definiantque ſymptomatibus: ſequor veram Scholæ Medicæ definiendi legem, quam & ex *Hippocrate*, *Galeno*, *Celſo*, *Aretæo*, Viris venerandæ Antiquitatis Principibus, & a *Sydenhamo*, *Boerhaavioque*, præclaris ævi recentioris ornamentis, didici, olimque tradidi. Nonnullæ quidem eruptiones cutaneæ morbum cum pejorem reddunt, tum diſcrimine pleniorem, at vero non in univerſum eruptiones omnes; cum dentur quæ levent, omnique eximant periculo hominem; ita ut hi novo ſuo definiendi modo nedum illuſtrent, ſed potius obfuſcent Artem.

Longiorem hic me non oportet eſſe, jure referentem Lectores ad ea, quæ a Tomo III. hujus operis, per ſequentes ſingulos, ex veris Artis prin-

principiis, tradidi, temporumque iniquitate coactus, plus æquo recoxi.

CAPUT II.

Enumeratio Morborum quos malignos vocare possumus.

§. Unica. *Cunctos morbos acutos, ab Ephemera protracta, ad ipsam usque pestem, benignos esse, malignosque; imo ne ipsas quidem intermittentes Febres excipiundas esse, observata docent.*

§. I.

Acutorum morborum nullus est, quem ad hanc classem nonnunquam non referamus. Ac 1mo quidem ipsam Ephemeram febrem protractam, & Synochum non putrem; quibus periculum conjunctum, si in corpora in-

ciderint illibatæ valentisque naturæ, nemo Medicorum novit; hanc profecto, ceterum aut ſponte fatiscentem ſua, aut levi cedentem auxilio, errores ſive Medentium, ſive Aegrotantium, malignum aliquando reddunt, ut capite ſequenti patebit.

2do Communes acuti morbi, in corpora pravæ prædiſpoſitionis cadentes, malignitatem ſæpe non modicam habent.

3^{tio} Quemadmodum continuæ Febres adeo blande quosdam afficiunt, ut modicum admodum id periculi ſit, quod conjunctum habent, ita alios tam male multant, nt vel mortem ægri oppetant, vel diu minentur eandem.

4to Febres continuæ remittentes natura ſua frequenter in malignitatem abeunt, ni caute illa, matureque, præveniatur.

5to

5to Ipſa alioquin adeo benigna intermittens febris, ut ipſius Medicinæ loco ſit, morbosque alios fuget, ſummæ malignitatis aliquando eſſe deprehenditur.

6to Morborum inflammatoriorum benignitas tanta frequenter eſt, ut quævis artis antiphlogiſtica præſidia ſuum mox effectum ſortiantur, brevique reddant homini ſanitatem: haud raro tamen vel nihil auxilia levant, vel ad eadem ingraveſcunt; ſic ut vel ingenti vitæ diſcrimine verſetur æger, vel diu langueat, vel in maturiorem, ſerioremve mortem tendat tandem. Angina, Peripneumonia, Pleuritis, ceterique id genus morbi, ſeu ſporadice, ſeu, quod frequenter, epidemice invadant, hujus ſæpe teſtes ſunt.

7mo Crebrioris autem malignitatis morbi ii, quos in Arte exanthematicos appellant, eſſe ſolent, benigni-

tatem licet perſæpe redoleant. Quid enim ſæpe benignius Variolis, ſive Sporadicis, ſive Epidemicis, quibus affecti infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, adultique, aut Naturæ, aut Medicinæ opera, cito, integreque, convaleſcunt? Quid e contrario Variolis malignius, dum ejus naturæ ſunt, ut niſi rerum gnaros, ſagacesque Medicos nanciſcantur, vel in mortem, vel in mutilatam tendant ſanitatem; imo & cunctorum Medicorum operam morbus eludat? Neque aliud nobis judicium de Morbillis eſt, Variolas malignitate nonnunquam ſuperantibus; non aliud de Scarlatina febre, deque Eryſipelatoſa, tandem neque de eruptione coacta Miliarium, Petechiarum, Aphtharumque.

8vo Ipſam denique Peſtem in malignam, benignamque dividere, obſervata jubent; quemadmodum Tomo

mo proxime priore hujus operis constitit, & evidentius postmodum patebit.

9no Imo Febres intermittentes, passim benignas, nonnunquam aut sporadice, aut epidemice, in vere intermittentes Apoplexias, Pleuritides, Colicas, &c. abire, hominemque necare, vere proinde malignas reddi, Practicis notum est. Vide *meas Thes. de divis. Febr. Divis XI.*

CAPUT III.

De Signis malignitatis in genere.

§. I. *Malignitatis completissima ex tota Antiquitate collecta Descriptio ex* Boerhaavio. §. II. *Malignitatis diversis a causis incrementum.* §. III. *Recentioris ætatis formata Malignitatis idea & imperfecta est, & noxia.*

§. I.

§. I.

Hic pauca repetere me oportet, memoriamque eorum refricare Lectoribus, quæ sæpius, fusiusque, hornum hoc meum Opus habet. Notarum Malignitatis in morbis *Boerhaavio* nemo ampliorem, accuratioremque descriptionem, unquam dedit, paragrapho totius Pathologiæ maxima 919. quæ exactissimam recensionem habet omnis sive minoris, sive majoris, sive maximi, functionum vitalium, naturalium, & animalium recessus. Sic quidem ut Sanitas ibi veluti linea Recta ponatur, ad quam Curvarum quarumcumque natura expendatur; adeoque si in Pulsu, in Respiratione, in voce; si in deglutitione, in appetitu, in digestione, alvo, urina; si in visu, odoratu, gustu, auditu, tactuque; si in perceptione, imaginatione, memoria, judicio,

ra-

ratiocinio, affectibus animi, motibusque voluntariis, paucus adsit ab horum sive omnium, sive præcipuorum, integritate recessus, morbus benignus vocetur; si major, ac periculo plenior est, malignitatem inter benignitatemque medius habeatur; si autem multus admodum, malignitate censeatur infamis.

Natura autem hujus ita dictæ malignitatis augetur ratione majoris in augmento eorundem signorum rapiditatis: ita ut, si mox ab invadentis principio ægritudinis, & numerosi sint, & graves, a sanitate recessus, hæc malignior habeatur. Notamque hujus malignitatis aliam depromimus ex eo, quem alia quacumque infirmitate antea confractum, morbus invaserit. Conjunctam sibi illam non raro habet ipsius morbi natura popularis; quemadmodum alia atque

alia tempeſtate Variolæ, Morbilli, Scarlatina, Putridæ vel inflammatoriæ Febres, aut parum, aut plus, aut plurimum diſcriminis habere deprehenduntur. Tandem morbi malignitatem arguit pertinax ejus ad ea artis præſidia, quæ cæterum conferre ſolent, reſiſtentia; uti verbi cauſa ea eſt antiphlogiſticæ Methodi inertia, ut ad eam, generoſius adhibitam, inflammationes in Suppurationes, Scirrhos, vel Gangrænam, transmutentur; ſitis ad flumina potuum hauſta indelebilis; æſtus ad interna externaque refrigeria inextinguibilis; motus & agitatio ad genus pacantium omne indomabilis &c.

Hæc demum genuina, hæc univerſalis expoſitio eſt τοῦ κακοήθους, quo nomine, rei ab *Hippocrate* indito, tota veneranda Antiquitas morborum cum internorum, tum externorum, maligni-

nitatem insignivit, & ad quod omnis eorum referenda malignitas est. Itaque quiscumque morbos eos hoc nomine appellarit, qui hominem subdole adorti, viribus extemplo dejiciunt, & cutem maculis papulisque fœdant, justa eos appellatione, malignos si dixerit, vocavit; injusta vero, si hos solos sic vocandos esse existimavit. Posteriore enim modo rerum ideas confundit, efficitque ut alii ea sola idea imbuti, ejus obliviscantur, quam suggesserat *Hippocrates*, confirmaverat *Galenus*, Prisci reliqui adoptaverant, nostraque ætas cum laudat, tum citra damnum, erroremque abrogari non posse, censet. Huic fundamento innixus incomparabilis *Sydenhamus* abstractam eam malignitatis ideam nostræ Artis pestem dixit; quod ad eandem, mente conceptam, vulgus Medicorum protinus ad eliciendos

dos ſudores, ſudoribus papulas maculasve generandas, animum appellat.

CAPUT IV.

De averruncanda aut mitiganda Malignitate morborum.

§. Unica. *Morborum malignitas ita abſoluta non eſt, quin pro diverſa qua tractetur, methodo, gravior multo, leviorque fiat. Cauſa ſic capitur cur Medicorum diverſorum facta ejusdem morbi relatio, tam diverſa ſit.*

§. I.

Malignitatis probe intellectæ cum præveniendæ, tum emendandæ, regulas practicas, haud minus ad ægrorum in Noſocomio lectos, quam ſparſim in operibus editis, ſuggerere Me-

Medicinæ Tironibus, ſemper annixus ſum; præſertim prolixiore capite primo Tomi XIII. Per omnia hæc conſtitid fieri 1mo Aëris uſu, & puri, & moderate calentis, & crebro renovati. 2do Indumentorum cum Corporis, tum Lecti, munditie. 3^{tio} Lecti refectione quotidiana, eaque gemina potius, quam ſimplici. 4to Potu ac Medicamentis, quæ contemperent æſtuoſum. 5to Obſervatione accurata viarum, quas indicat Natura morborum: ut nempe expediantur illæ, utque per expeditas illas materiem morbi Natura pellere de corpore poſſit. 6to Cauta evitatione eorum, quæ augere humorum motum modo quocumque poſſent.

Quemadmodum ſex hiſce legibus, bene obſervatis, Morborum Malignitas multum imminuitur, ſic ab iisdem neglectis plurimum au-

getur. Ita quidem ut malignitas ejusdem temporis, ejusdemque urbis, in diverſorum medicorum ſcriptis duos potius morbos, malignitate plurimum differentes, referre hac de cauſa videatur. Inter multa alia, teſtimonium hujus luculentum habui ex Litteris duorum Medicorum, qui malignam Febrim, Metropolim ſui Regni affligentem, ſic mihi exararunt, ut duos admodum a ſeſe, cum natura, tum effectis, diſcrepantes morbos, in his Litteris deſcriptos videre mihi videar: vera utrumque dixiſſe puto; ſed altero malignitatem ſua methodo augente, ſuaque illam diminuente altero, diſſonæ Relationis cauſam capio.

Hic Cramben antiquam, eamque recoctam, iterato apponere, æque tædioſum mihi, quam Lectoribus foret; eoque magis præterire hæc po-

tero

tero hic loci, quo in ſequentibus occaſio horum reminiſcendi ſe præbitura crebriorem ſit. Quare præmiſſis generalioribus, ad eorundem in vario genere malignitatis applicationem me accommodaturus, a Variolis ordiar.

CAPUT V.

Methodus præcavendi, moderandi, curandique, malignitatem in Variolis.

§. I. *Inoculationis progreſſus non impedit, quo minus optima Methodus conſcribatur curandi Variolas naturales.* §. II. *Hiſtoria prima naturalium Variolarum miſti generis, una cum ejus toto decurſu atque cura.* §. III. *Hiſt. altera, meliorum, quamvis a contagio prioris ægræ, Variolarum, in longe pejore corpore. Curatio.* §. IV. *Hiſtoria tertia, & cura ad-*

admodum malignarum variolarum. §.V. *Historia quarta.* §.VI. *Historia quinta variolarum malignarum, cum magna eruptionis irregularitate.* §. VII. *Malignitas, benignitasve variolarum, Corporum nec salubritate, nec pravitate, determinatur. Componitur Inoculatorum de hac re dissidium. De incertitudine temporis, quo indiget ad generandas pustulas Contagium. Præcipua tum Naturales, tum Inoculatas Variolas, curandi felicitas ab Athmosphæra pendet. Calida balnea summæ, naturali in morbo, utilitatis sunt. Animadversio in eos, qui hæc Balnea de Variolarum cura proscribant, quod ipsis videantur materiem a cute repellere. Refutatio hujus opinionis ab experientia, & ab eorundem argumentorum fallacia. Apologia Autorum, qui interanea Variolis maculari scripserunt. De Experimentorum incertitudine. De scriptoribus, qui de Pustularum apertura scripserunt, deque ejusdem utilitate. Venæ sectionis per omne Variolarum tempus, postque easdem, utilitas. Lac in Variolis laudatur, nec*

non

non omnis mentis corporisque Refectio, ac Hilaritas. §. VIII. *Malignitatem, mortemque, plurimum a Variolis removeret, edita patrio sermone Norma easdem tractandi, autoritate publica suffulta. Frustraneam hanc qui ideo censent, quod universalissima Inoculatio pene extinctura omne variolosum virus sit, rogantur Necrologia evolvere, ut ab Inoculatione variolas naturales valde augeri indies discant. Argumenta quæ id probent.* §. IX. *Propositio, haud paucis genita, suffultaque autoritatibus, de variolis sive præveniendis, sive miti adeo modo sic generandis, ut homo vix inde periclitetur unquam. Argumenta propositioni faventia. Conclusio Capitis.*

§. I.

Inanis ac supervacanea, quam suscipere animus fert, hæc pertractatio multis videri poterit, quod methodus hominibus variolas inoculatione consciscendi, rapido plane incessu in-

valeſcens, rationem poſt ſe relinquere non videatur, cur de earundem naturaliter contractarum malignitate operoſe agam.

At vero hos monuiſſe expedit, ob id ipſum neceſſarium eſſe quendam operoſiorem de Variolis ſermonem; ac *primo* quidem ideo, quod non niſi plurimorum annorum inoculatio determinatura quæſtionem ſit, utrum comparatæ inſitione Variolæ iisdem communi contagio contractis, præferendæ ſint, nec ne? *Secundo*, quod antequam id conſtiterit, vis plurima hominum naturali contagio afficiatur neceſſe ſit. *Tertio*, quod in Variolis inſitis non omnino perrara malignitas obſervata ſit, quam methodo, in naturalibus Variolis celebri, emendare inſitores debuerunt. *Quarto*, quod alteræ variolæ haud tam raræ ſint, ut ultra de variolis naturalibus tractare

Me-

Medicina non deberet. *Quinto*, quod per insitionem communicato, multiplicatoque contagio, infinito numerosiores homines sibi naturali modo variolas contrahant.

Quo autem hæc Pertractatio accuratior, utiliorque sit, præmittendæ nonnullæ historiæ erunt, quas partim nobis Nosocomium hoc anno suppeditavit, partim ægrorum in urbe contemplatio.

§. II. Novem annorum puellam variolis affectam in Nosocomio habui, quam ante elapsum abhinc biennium a vomitu quotidiano, eoque cum violento, tum diuturno, non nisi multo labore percuraveram, & ante elapsos quinque abhinc menses a vomitu cruento. Sexta die Aprilis mane sana surrexit, paulo ante meridiem vero ex Schola redux, dolorem conquesta capitis atque lumborum est, exivit

tamen pranſura apud cognatum; vix tamen comedens propter dolorem, ſitimque, ad Matrem rediit. Aprilis 7. decubuit tota die, alvumque nocte depoſuit: die autem 8. menſis, exactis 48. horis a principio invaſionis, Mater, Noſocomii Clavigera, eam exhibuit mihi, commiſitque, primordia puſtularum in genis, fronteque gerentem. Poſt meridiem etiam in manibus illas vidi, & priore loco numeroſiores. Febris interea nulla, multa ſitis, urina hypoſtatica, vix læſa reſpiratio, lumbi autem, ac capitis dolor, idem. Sitim temperabat vel aqua, vel Avenæ cum melle Decocto. Admovebantur Epiſpaſtica larga pedibus, & Cochleari *Syrupi Diacodii* dato, nox ſequebatur tranquilla. Aprilis 9. puſtulæ faciem brachiaque contegebant abundanter, febre concomitatæ. Cum tuſſiret multum, copioſe

pioſe bibit decoctum *pectorale* cum lacte, ſumſitque multum Linctus ex *Syr. Viol.* ac *Rubi idæi* æqua utriusque parte confecti, ut nitidæ fauces manerent. Singulaque hora oculi lavabantur levi decocto ſeminis *ſumach* cum lacte, non cale acto, ſed ejus, qui in cubiculi athmoſphæra erat, caloris. Poſt meridiem enema, unde ter dejecta alvus. Febris tota die moderata, bona reſpiratio, deglutitio autem minus expedita eſſe cepta. Paucus jam lumborum & capitis dolor. Calor veſpere 3. aut 4. gradibus eo, qui ſani hominis eſt, major, ſcilicet in *Thermometro Fahrenheitiano.* Tribus ante meridiem, quatuor poſt meridiem horis ſedit, ambulavit, garriit; crurum balneo aquæ moderate calentis inſedit, deterſisque pedibus renovata Epiſpaſtica ſunt. Veſpere Cochleare *Syr. Diac.* datum, mediaque

nocte cum ægrotus dormiret, alterum; unde melior ſomnus. Poſt eruptionem variolarum urinæ ſemper naturales colore fuere, enæorema aliæ ſuſpenſum, aliæ ſubſidens, habentes.

Aprilis 10ma, & morbi die 5ta, eruptionis die 3^{tia}, calor quidem mane 100. graduum erat, ut heri, febris tamen minor. Puſtulæ numero augentur. Deglutitio minus commoda fit, puſtulis latus uvulæ lævum obſidentibus. Non appetit; decoctum *pectorale* autem cum lacte affatim bibit. Hodie ſemel bihorio, ſemel trihorio, ſemel hora, extra lectum ſedit, & garrula cum ſit, animum garriendo explevit. In Balneo crurum mediam horam ſedit, eodemque tempore manus ac brachia in vas calida plenum poſuit. Febris modica veſpere, & calor 99. gr.. Nox poſt unciam *Syr. Diacodii* bona.

Apri-

Aprilis 11ma Calor mane ac veſpere 100. gr. Febris modica. Cepit hodie unciam *Syrupi Diacodii* mane, ac ſero ſumere. Ab Enemate pauca alvus, pultiformis. Urina naturalis. Extra lectum tribus antemeridianis, & quatuor pomeridianis horis fuit, ſedens, currens, garriendo ludendoque tempus fallens. Jamque & puſtulas lingua gerit. Ad multam ſitim multus potus. Nutrimento eſt id, quod copioſe bibit, Lac, &, quod quinquies in Nucthemero datur, juris carnis pauxillum. Inflari hodie facies cepta, rubereque, nec non palpebræ. A *Diacodio* nox bona.

Aprilis 12ma, Dies ab inchoante morbo 7ma, ab eodem puſtulato 5ta. Puſtulas jam cingunt circuli rubri. Meræ diſcretæ ſi forent, ſicceſcere inciperent, jam vero nondum, quod cohærentes ſint, adeoque quod ali-

aliquid Diſcretarum, aliquid Confluentium habeant, citius his, tardius illis, matureſcentes: qua de cauſa etiam non aſſurgunt in diſcretarum molem ſive altitudine, ſive amplitudine. Quamvis fauces & lingua humidæ perpetuo ab aſſumptis continuis ſerventur, numeroſæ tamen puſtulæ totam linguam, palatum, imasque obſident fauces. Ab enemate copioſa alvus. Mane ac veſpere 100. gr. calor. Matutinum veſpertinumque & crurum brachiorumque balneum, & lecti excuſſio, & *Diacodii* exhibitio. Nox bona.

13. Apr. Modica febris. Reſpiratio bona. Vox rauca. Deglutitio laborioſa. Tumida valde, rubicundaque facies; tumidæ ſic ſuperiores inferioresque palpebræ, ut aperiri vix lumina queant. Manus & brachia ſic intumeſcunt, ut difficulter percipiatur

tur pulſus. Copioſa a Clyſmate dejectio, gemina, pultiformis. Urinæ naturales. Calor thermometri mane ac ſero, Balnea, Strati mutatio, Epiſpaſtica, Diacodium, oculorum fomentum, potus, linctus, nutritio, ut heri. Puſtulæ albidiores, pureque turgentes.

14. *Apr.* Morbi die 9no, eruptionis 7mo tumor ingens faciei, palpebrarum, labiorum, multo cum rubore: turgidiores quoque & manus, & brachia. Confluuntque puſtularum plures, earundemque una alterave flavum quid de ſuo centro ſudat; ſic ut adſit perfecta maturitas. Mane moleſtius habens lecto brevius abfuit, pomeridiano vero tempore allevata, quinque ex illo fuit horis. Alvus a Clyſtere pultiformis. Urina naturalis. Omnia data & admota, quæ heri. Calor idem.

15.

15. *April.* Quantum in tumidiore carpo explorandus pulſus erat, febrem modicam indicavit. Reſpiratio bona ſemper. Sitis minor. Appetitus major. Calor 99. gr. Auxilia cuncta, tam matutina, quam veſpertina, & lecti abſtinentia, pro more. Alvus ab enemate, & Urinæ, quales heri. Deglutitio gravis adhuc eſt, quamvis nunc paucas puſtulas fauces, linguaque, habeant. Vultus multum collabitur. Veſpere autem deglutitio melior, vox clarior. Forfice hodie puſtulas plerasque aperuimus, idque bis. Pure licet manarent, eodem tamen brevi replebantur. Nox bona.

16. *Apr.* Pertuſæ puſtulæ, de integro turgent. Nitent jam fauces, palatum, buccæ, labia, lingua. Concidit facies. Urinæ ſunt naturales. Alvina poſt clyſma puls. Febricula. Appetitus. Pauca ſitis. Eadem auxilia

xilia quæ priorum dierum. Pustulæ arescentes continuo illiniuntur unguento, quod æqua portione *Olei amygd. rec.* & *Ung. ros.* compositum est, quodque quotidie renovatur, ne obsit rancore. Nox bona.

17. *Apr.* Morbi 12mus, eruptionis decimus est. Calor 98. gr. Vix febris. Matutina vespertinaque continuantur artis præsidia. Nulla sitis. Appetitus optimus. Panis in Jure, & hordei, avenæ, oryzæ, conceduntur cremores. Bona nox.

18. *Apr.* Crustæ a facie decidunt, perque corpus universum pleræque papulæ arescunt. Calor 98. gr. Continuantur eadem. Bona Nox.

19. *Apr.* Una spontanea alvus pauca, clysmate altera provocata. Tota fere die ex lecto est. Bis in balneo. Cetera pro more. Nox bona,

20.

20. *Apr.* Qui totius morbi 15^{tus} eſt, ſumſit *Aq. Lax. Vienn. uncias duas cum dimidia*, unde dejecta ter puls alvina. Ab hoc die veſpere duntaxat balneum, reliqua ut moris erat. Hilaris tota die non decubuit. Nocte dormivit egregie.

21. *Apr.* Urinæ duæ hypoſtaticæ, ut purgante ſumto ſolent. Cum clam fricuiſſet nimis ſuperciliorum plagam, unguento noſtro continuo, metu fœdæ Cicatricis, eandem illinivimus.

22. *Apr.* Omnia bene. Mane ac veſpere *Diac.* Balneum unicum.

23. *Apr.* Sumſit *Aq. Lax. unc. tres*, unde nauſeans, plurimam ejus partem elapſa ſesquihora vomuit, & bis alvum dejecit naturalem. Poſt *unciam Diacodii* nox bona.

24. *Apr.* Hypoſtatica urina unica, ceteræ naturales. Unctio. Syrupus *Diacod.* ad noctem.

25.

25. *Apr.* Sanguinis unciæ ſeptem detractæ ex brachii vena. Sanguis bonus. Pulſus naturalis, ut & urina. Ter alvus pultiformis. Ad noctem *Diacodii Syrupus*. Bona nox.

26. *Apr.* Omnia pro votis. Squammæ, maxime autem centrales, nondum cadunt. *Diacodium*. Bona nox.

27. *Apr.* Sumſit unciam *Syrup. Roſ. ſol. c. Senn. ſcrupulum Rhei, & ſalis polychr. gr. XV.* Dejectio bina. Poſt *Diacodium* bona nox.

28. *Apr.* Die Morbi 23. nauſeat, febricitatque: ab injecto autem clysmate prodeuns pultiformis alvus omnem nauſeam ſedavit, reſtituitque appetitum; febriculam vero *ſyrupus Diacodii* ad noctem ſedavit. Somnus optimus.

29. *Apr.* Urina cum ſedimento albo.

30. *Apr.* Idem purgans, unde dejectio bina.

1. *Maji.* Squammæ decidunt foveis vix conſpicuis.

Die 2. & 3. *Maji.* omnia bene.

4. *Maji.* Præferens ſyrupo *Aquam laxativam*, uncias quidem tres bibit, ſed vomitu partem reddidit, meridie vix appetivit, conqueſtaque frigora eſt: bis tandem pultis inſtar, bis ſanorum ſimilia, alvo reddens, rediit, perſeveravitque ſanitas. Poſt quatuor menſes unius modo puſtulæ veſtigium vultus habuit.

§. III. Puerum, Noſocomii curæ commiſſum, innibique anno, & quod excurrit ſpatio, *Spinæ* dictæ in arte *ventoſæ*, ſex diverſis in corpore plagis furentis, horridæque Diatheſios ſcrophuloſæ, triſte exemplum, inopinato Variolæ, puellæ procul dubio contagio, jam triennem invaſerunt 26. die Apri-

Aprilis; die 21. ſcilicet, ex quo adortæ puellam fuerant. Invaſerunt autem ſic, ut citra vel minima ſui indicia, aut præſagia, in angulo externo palpebræ dextræ puſtula prima appareret, ſequenti autem die altera in fronte, cum imminuto, quem alias ingentem voracemque habet, appetitu. Dieque hoc toto ejusmodi tenesmo laboravit, ut plus vigeſies in excipulum ponendus eſſet, nec quidquam, niſi enemate injecto, egereret. Obſervavi eodem tempore tenesmum extra Noſocomium, principio Variolarum, in puella annorum duorum, inque alia ſesqui alterius anni, per integros ferme dies tres continuum, atque crebrius in morbo repetentem. Veſpere plures in Collo papulæ, in Naſo una, unaque hinc inde in brachiis, cruribus, femoribus. Siticuloſus multum idem

bibit, quale Puella, admotaque pedibus Epiſpaſtica ſunt. Nocte ſudavit, adeo autem bene, ceſſante Teneſmo, dormivit illa nocte, ut bis modo evigilaret.

28. *Apr.* Calor 94. gr. qui calor ſanis, atque etiam ejus ætatis pueris, uno alterove gradu inferior eſt. Viginti novas puſtulas habet in Colli ambitu, ad Nucham, ſummumque dorſum; heſternæ autem grandeſcunt. Teneſmus exiguus. Bibit hodie Libras duas *Decocti pect.* cum Lacte Bina ab enemate alvus, liquida prior, poſterior dura. Extra lectum quadrihorio ſedit, in eumque remiſſus dormivit, ut & noctem totam, ter expergefactus tantum teneſmo. Cum appetitu pluries comedit pultem, quam *Panadellam* vocant.

29. *Apr.* Calor mane 93. gr. Veſpere 94. Veteres papulæ grandeſcunt, &

& accedunt novæ. Circulos rubicundos priores gerunt. Appetit. *Decocti pectoralis* Libras tres cum Lacte bibit. Multam diei partem ex Lecto transegit. Pauca alvus naturalis, enemate provocata copiosior. Urina naturalis. Nox bona.

30. *Apr.* Calor mane, ac vespere, 93. grad. Die morbi, unaque eruptionis, quinto incepto, pustulæ faciei maturum pus habent. Bihorio ante meridiem, post meridiem quadrihorio, lecto exemtus est. Bis dejecit pauca, semel sponte, semel clysmate. Appetivit. Bibit ut heri. Et cum vespere paulo inquietior esset, dabantur *duæ dragmæ syrupi Diacodii.* Bene dormivit.

1ma *Maji* Calor mane 94. vespere 93. gr. Quatuor antemeridianis horis in spatioso cubiculo vel obambulavit, vel sedit. Ab enemate alvus.

 Ap-

Appetivit, bibit ut prius, & a *dragmis duabus ſyrupi Diacodii* bene dormivit.

2da *Maji.* Aſſumta, applicata, excreta, quæ heri; Decem horis ex Lecto, ſic ut ad meridiem tantummodo parumper in lecto dormiverit.

3tio *Maji* ut heri omnia.

4to *Maji.* Hoc nono die variolæ exſiccantur bene. Cæterum omnia, ut præcedentibus diebus.

Inito attente puſtularum numero, Centum ac decem univerſo in corpore reperiuntur; iis exceptis quas in Calvaria craſſum tegit capillitium, copioſas adeo, ut nullibi adeo numeroſæ inveniantur.

5. *Maji.* Ab *uncia una ſyrupi Roſarum ſolutivi* bis reddita alvus eſt. Bibit eadem. Ex Lecto tota die eſt. A ſuis *ſyr. Diacodii Dragmis duabus* ſemper bona nox.

6.

6. & 7. *Maji.* Calor & omnia eadem. Cito olet urina. 8. *Maji.* Syrupus purgans. 9. 10. 11. *Maji.* eadem ſumit. Calor idem & appetitus. Alvus prodit ſponte bis terve in die. 12. *Maji* Syrup. purgans.

Porro toto tempore, quo egreſſæ Variolæ, quo ſuppuratæ, exſiccatæque fuerunt, *Spinæ Ventoſæ* ulcera minus tumida, minusque purpurea fuerunt, ſed ſicciora. Cacochymia autem ingens hæc benignas has Variolas minime in malignas, quod haud citra rationem verebamur, mutavit. Benigniores imo has deprehendimus illis puellæ, cujus contagione hæ natæ ſunt.

§. IV. Præclari Viri filiolus quinquennis die 7. Aprilis ejusdem hujus anni, metu Variolarum, jam vulgarium, purgabatur *Aq. Laxativa*: ipſoque eo die, prope meridiem, lumborum ac crurum dolorem conqueri ce-

pit, noctem autem ſomno interrupto, multoque cum æſtu, tranſegit. Cum parum operatum purgans eſſet, altero mane repetebatur. Quo die Febris, Cephalalgia, Coma, Lumbago, & Crurum dolor, puerum vexarunt. Diurnus quinque horarum ſomnus hæc parumper mitigaſſe videbatur, ſed appetitu prorſum caruit puer, & noctem inſomnem, ſiti æſtuque turbatam, tranſegit. Jam tendines ſubſilierunt; unde pedibus apponebantur Epiſpaſtica. *

9. *Aprilis.* Mane vomuit, febre eadem continuante cum ſuis ſolitis ſymptomatis, paulo forte mitioribus. Circa

* Hunc puerum minimum ſemel in die inviſi, quemadmodum etiam duos ſequentes. Diarium autem exactiſſimum completiſſimumque omnium mihi comparare potui, ſingula notantibus in charta Patre, Avunculo, Amicis duobus; tribus ſcilicet dudum, uno propediem, Medicinæ Doctoribus.

ca meridiem autem; expletis duobus morbi diebus, rubra puncta in facie ac ventre prodierunt, numero cito augescentia. Vomitus repetiit cum levamine, imo cum subsequente somno, in quo tendines subsilierunt. Bis in calido crurum balneo insedit, pedibus Emplastrum Meliloti admotum est, clysma injectum, & uncia data *syrupi Diacodii*. Nox intermista vigiliis & somnis, ac vomitu frequentiore interturbata.

10. *Apr.* Et plures & majores pustulæ mane aderant, unaque magis elevatæ. Febris minor. Vomitus bis. Parcior sitis. Bis solum ab enemate alvus. Ad noctem *uncia cum dimidia Syrupi Diacodii* dabatur. Insomnia, quia levis hæmorrhagia narium repetebat.

11. *Apr.* Numero ac mole augentur papulæ. Febris exigua. Bis post

enema alvus. Somnus ſesquialterius horæ. *Uncia ſyrupi Diacodii cum guttis quatuor Laud. liq. Syd.* dabatur ad noctem; poſtquam cum nulla quies ſequeretur, idem paregoricum repetebatur nocte media, verum poſthac aut turbati, aut nulli ſomni. Balnea crurum ac brachiorum quotidiana ſunt. Ex lecto frequenter in ſedem ponitur.

12. *Apr.* Major tranquillitas, & ſesquihoræ a meridie ſomnus, tuſſicula interturbatus aliquantum. Eruptio nunc plena generis cohærentis. Circuli rubentes puſtulas cingunt. Facies nonnihil tumet. Manuum puſtulæ albidiores, fauces dolentes cum expedita deglutitione. Appetitus. Nocte poſt *uncias duas ſyrupi Diacodii* ſomnus tranquillus, cum raro ſubdelirio. Multa mane tranquillitas, ſomnusque multus. Tuſſicula. Vultus

ru-

rubicundior tumidiorque. Major palpebrarum cohærentia. Enema ut injectum, ſic egreſſum eſt. Veſpere crebra tuſſis. In alvo ponenda alguit, non niſi auctis ſtragulis calefaciendus. *Unciam ſyrupi diacodii* ad noctem ſumens, ſomnum quidem multum, at tuſſi frequentiore interturbatum, habuit. Recuſavit potum. Lotio oculorum per omne morbi tempus ſedula.

13. *Apr.* Hodie, morbi octavo, a capite ad calcem, æque ad poſteriora dorſi, artuumque, quam ad anteriora, pleniſſimus puer puſtulis eſt, in plurima parte diſtinctis, centroque intropreſſo notatis, in rariore parte cohærentibus, in rariſſima confluentibus. Neque ab illis, iisque confertiſſimis, immunis penis eſt, internumque præputium. Os internum iisdem ſcatet, citra tamen deglutiendi difficultatem.

14.

14. *Apr.* Jamque & manus tument. Somnus crebrior. Duplex alvus post Clysterem. Ad noctem nihil paregorici datum.

15. *Apr.* Vultus tumidior, manusque. Depressiores mane pustulæ, eæque flavescentes, vespere elatiores. Copiosius bibit. Subinde dormivit. Post *unciam syrupi Diacodii*, nox bona, multusque in illa potus.

16. *Apr.* Cum tumidioribus manibus æque tumidæ fauces. Flavæ pustulæ pure suo flavo, coctoque, forcipe evacuantut. Enema & alvus duplex, primo enematis, postmodum fæcum.

17. *Apr.* A nova pustularum sive earundem, sive aliarum apertura, multus sæpe, aliquando parcus puris fluxus. Est undecimus morbi dies. Pedes intumescunt, licet non minus tumeant brachia, faucesque. Ad meri-

ri-

ridiem anxius fuit, ſed coagulati lactis vomitione ab anxietate liber, dormivit, alvoque liquida dejecit. Poſt *unciam ſyr. Diacod.* Bona nox.

18. *Apr.* Spontanea alvus. Detumeſcere facies cepta, in eaque jam nonnullæ papulæ ſiccæ: pertuſæ aliæ copioſo pure manarunt: in manibus perpetuo albidiores ac depreſſiores ſunt. Dies tranquilla. Manifeſtus conſpiciebatur carotidum in collo pulſus. Bibit multum. Poſt conſuetum *Diac.* nox bona.

19. *Apr.* Decidentibus variolis faciei, eæ manuum pedumque admomodum tument, in pedibus præterea dolent. Turgentium puſtularum aperturam puer recuſat. Clyſma inutile. Poſt *Diacodium* irrequieta nox.

20. *Apr.* Morbi decimus & quartus. Moroſitas: quæ multum levata, & in hilaritatem mutata eſt, apertura pu-

puſtularum, quam non in parte modo ſed univerſo in corpore, fieri conceſſit. Nox bona.

21. *Apr.* Balneo non inſedit hodie, quod *uncias duas Aquæ laxativæ* aſſumſerit, & quater dejecerit: frigus bis in deponenda alvo conqueſtus, denſiore ſtragulo brevi recaluit. Poſt *ſyrupum Diacodii* nox bona.

22. *Apr.* Multæ puſtulæ jam exſiccantur. Pedes ad malleolos adhuc tument. Pertuſæ veſpere puſtulæ plures, multo pure manarunt. Cum appetitu cœnatus, *Diacodium* pro more quidem ſumſit, noctis vero plurimam partem præ univerſi corporis pruritu transegit inſomnem, bibitque multum. Hora ſecunda poſt mediam noctem ſuo inungi unguento petiit, rogavitque *Diacodii ſyrupum*: poſt quæ horis quinque tranquille dormivit.

23.

23. *Apr.* Morbi poſt decimum ſeptimus. Alvus unica a levi doſi purgantis. Veſpere poſt balneum *ſesquiunciam ſyr. Diacod.* ſumſit, pruriens vero cutis dolor, cum primis pedum, nocte ea tantus fuit, ut puer ipſe ejusdem ſyrupi Cochleare ſibi dari rogaret; quo aſſumto, ſex horis bene dormivit.

24. *Apr.* Ab aqua laxante terna dejectio. Cruſtæ undique decidunt. Bene habet. Sic & 25. & 26. Alvus bis. Pus ſanguine miſtum naribus excernitur. Idem pus 27. 28. *Apr.* A repetito purgante terna alvus.

NB. De volis manuum, pedumque plantis, portiones integræ epidermidis ſecedunt, quibus a parte externa puſtulæ ſiccatæ extant, interna autem ſuperficies nihil puſtulata, ſed tota lævigata, apparet. Portiones aliquas tales conſervo.

29. *April.* Vix ſatiandus puer eſt. Vena ſecta fuiſſet, ſi ulla alicubi invenienda, feriendaque fuiſſet.

30. *April.* Bene habenti conſpiciuntur puſtulæ tres recens natæ, pure mox plenæ; in fronte una, ad genam altera, in ſiniſtræ manus vola tertia. An furunculorum more, quales excipere variolas haud infrequenter ſolent? Dies minus bona, nox optima.

1. *Maji.* Plures, majoresque, craſſioris epidermidis portiones decidunt, inferiore ſuperficie politæ, in exteriore puſtulis ſiccis extantibus ſcabræ: licet autem polita omnino interior hæc ſuperficies ſit, cutis tamen, quo loco decidere hæ, cicatrices impreſſas gerit. Ventre, eoque ſuperiore potiſſimum, tumet, quod ipſi frequens. Alvo caruit. Puſtula nova genæ aperta pure manavit.

2. *Maji.* Et hodie eadem pustula aperta, pus de integro fudit. Vespere idem ventris tumor.

3. *Maji.* A biduo alvus deficiens, enemate soluta est. Hodie Chirurgus *Scherer*, Phlebotomus adeo dexterrimus, ut quibus post Venæ sectionem, pluries frustra tentatam, hæc impossibilis dudum habita fuerat, eandem tamen feliciter jam sæpius tutuderit; hic tamen venam aptam nullam detegere potuit, exiguamque feriens, vix sanguinem habuit.

4. *Maji.* Bis a purgante remedio alvus prodiit. Idem ventris ad vesperam tumor. Nonnihil pedes livent.

5. *Maji.* Pedum livor idem. Chirurgus idem ex vena pedis septem uncias sanguinis eduxit. Ab hoc tempore melius habuit; pes colorem naturalem adeptus est, Venter autem aliquantum quidem concidens, non-

nisi exercitio corporis tandem penitus concidit.

§. V. Frater ejus quatuor annos natus, sanus eousque, nisi quod a fistula ani, quam annum natus toleravit, male curata, distortus pede nonnihil sit, die 27. Aprilis, die scilicet 21. Morbi natumajoris, languere cepit, bene adhuc appetens, & aliquoties futurarum Variolarum metu purgatus.

28. *Apr.* Febris valida, horrifica, sitis multa, Cephalalgia ingens, Nausea, puerum invaserunt. Copiosam habuit a Clysmate alvum, urinamque naturalem. Bis crurum balneo insedit, balneo egressus in lecto voluit esse. Nox bona fuit.

29. *Apr.* Mane melius habens surrexit, post nonam frigore correptus lectum repetivit, balneoque postmodum insedit. Ad meridiem aëris libe-

berioris causa cum sorore vectus curru est, redux balneo crurum insedit, ab enemate dejecit, & sumto *syrupo diacodii* irrequiete dormivit.

30. *Apr.* Hoc mane exiguæ admodum pustulæ in fronte adparent, in reliqua facie, in corpore toto. Pustula præterea alba ad inferiorem linguæ apicem. Vix febris. Stillicidium sanguinis e naribus. A meridie febris major, sitis intensior, Cephalalgia. Balneum. Clysma. Potus multus. Post *unciam syrupi Diacodii* nox turbata.

1. *Maji.* Mane tranquillus est, ac universo in corpore pustulosus. Pustulæ grandescunt, passim discretæ quidem, in fronte autem & cohærentes, & numerosæ. Bis balneum, & *Diacodii syrupus.*

2. *Maji.* Disparuit, quam linguæ apex gesserat, pustula. Balneum. Al-

vus terna. Sine *Diacodio* obdormiſcens, bonam noctem habuit.

3. *Maji.* Duæ in fronte planæ amplæque papulæ, multæque exiles, cohærentes, paulatim omni dimenſione augentur. Extrema corporis multæ exiles, eæque limpidæ, obſident. Appetit. Sitit. Poſt *ſyrupi Diac. unciam* bene dormivit, ut bis modo potandus evigilaverit.

4. *Maji.* Vultus tumet, multumque palpebræ utræque. Lavantur oculi continuo lacte & aqua: præ pruritu autem eosdem fricat nimis, & inferius labium cruſtoſumvellicat. Nox bona.

5. *Maji*, die ſexto eruptionis, ter a Clysmate alvus, Variolæ turgent pure flavo: habent & externæ palpebræ tam ſuperiores, quam inferiores, puſtulas, flavoque madent Cilia pure: de pede diſtorto multum con-

que-

queritur, deque vicina Podici per ambitum regione, pustulis plenissima. Cum aucto vultus tumore etiam manus tument. Nox minus bona, in eaque alvina dejectio bina, & irritus mejendi conatus.

6. *Maji.* Toto in corpore jam flavæ pustulæ, & maturæ; cutis autem interjectis in plagis pulcre & tumet, & rubet; an hoc a Materie purulenta, subjecto in adipe turgente? Tumor vultus manuumque augetur. Oculi utriusque canthus externus exiguas admodum variolas habet. Palpebræ tument vehementer. Sine *Diacodio* bene dormivit.

7. *Maji.* Chyrurgus pustulas ubique aperuit, quod undique manans, abunde collegit ad inoculandum. Neglecto Diacodio, minus bona nox fuit. Rubent oculi. Alvo deficiente *Aqua laxativa* data hodie est, unde-

cimo morbi die, cujus opera periit oculorum rubedo. Siccæ ſunt cruſtæ ubique. Facies non valdopere tumeſcit amplius, minusque adhuc manus, pedes nihil omnino. Nox optima.

8. *Maij.* Tumor idem, qui heri. Conſpecta hoc die macula rubra eſt in gena dextra. Puer bene valere videtur hodie, quemadmodum & 9. 10. 11. 12. 13. & 14. die Maji, rubentibus iterum iterumque oculis, poſt repetitum purgans autem denuo albis.

§. VI. Puella eorundem ſoror annum cum dimidio agens, ſana ſemper, pluriesque metu hujus morbi purgata, die 24, Aprilis, qui erat dies 18. morbi fratris natumajoris, & tertius, antequam minor natus ægrotaret, duplicem inquietudinem parentibus dedit, quod & duo dentes canini eruptionem minarentur, & macula rubra genam dextram deturparet. Unaque de-

dejiciebatur appetitus, oculi lacrymosi ac turbulenti apparebant, dexter plus ſiniſtro, & moroſa admodum puella erat.

27. *April.* In rubra genæ macula nunc papula ſurgit, rubro circulo cincta, foveolamque intropreſſam in centro, ut variola, habens. Alvo clyſmate ſoluta, moderatior moroſitas fuit.

28. *Apr.* Augeſcit puſtula, jamque prope hanc duo rubra puncta cernuntur, ceterum nullibi. Appetitus adeſt, ſed inquieta nox.

29. *Apr.* Somnolenta eſt. Puſtula creſcit variolæ more. Duo puncta rubra ut heri. Nullibi ceterum in toto corpore apparet quid. Curru vecta per horam eſt. Uſa eſt balneo crurum calido. Alvo laxior, tantillum *ſyrupi Diacodii* ſumſit, noctem inquie-

tam transegit, & non dormiens perpetuo ploravit, convulſaque eſt.

30. *Apr.* Puſtula quartum diem agens, circulo rubro latiore grandeſcebat, & matura in medio flaveſcebat. Jam & in facie, & in reliquo corpore plures variolæ conſpiciuntur. Moleſta eſt, ejulatque continuo. Enemata non operantur. Nonnihil *ſyrupi Diacodii* tunc ipſi, quietius in brachio ancillæ quam in lecto ſe gerenti, ſomnum conciliabat. Cum autem ex heſterna veſpera non minxiſſet, & poſt ſomnum perpetuo ejularet, metu ne retenta urina ipſi dolorem, anxietatemque crearet, cataplasmate emolliente, ac diſcutiente, fotum abdomen fuit, unde brevi quidem minxit, ſed ab ejulatu non quievit. *Uncia ſyr. Diacod.* veſpere data, primo quatuor horarum, deinde ad auroram horæ ſpatio, dormivit.

I.

1. *Maji.* Balneum, potumque renuit. Variola prior exſiccationem inchoat. Numeroſiores toto corpore prodeunt. Mane dormivit multum, rectiusque valens, petivit cibum. Noctem fiendo tranſivit. Sponte ſoluta bis alvus eſt. Variolæ ut plurimum diſcretæ ſunt, in mento autem, inque gena læva, nonnullæ cohærent. Parum bibit. Pluries hodie tranquille dormiens, *Diacodium* non ſumſit, & ipſa quoque nocte dormivit.

2. *Maji.* Balneum renuit præfracte, admiſit tamen totos ſuperiores inferioresque artus aqua & lacte calentibus foveri. Dormit ſponte continuo, & tranquillior eſt. Ab enemate alvus. Et nocte ſpontanee dormivit.

3. *Maji.* Puſtulæ numeroſæ, aſt pallidæ, & exiguæ. Prior variola in medio craſſam habet amplamque cru-

ſtam. Spontanea alvus. Bona nox dato iterum ſyrupo, multusque inter ſomnos potus.

4. *Maji.* Toto antemeridiano tempore dormivit, & inter ſomnos bibit. Facies tumet. Multum toto in corpore numerus papularum augetur. Bis alvus ſpontanea. Nox bona.

5. *Maji.* Flaveſcere inchoant puſtulæ, elevanturque, vix autem augentur amplitudine. Facies & manus tument egregie, multas licet papulas habeat, mole aliquanto minores, quam natuminor, & infinito fere minores, quam natumajor. Alvus ſpontanea. Nox bona.

6. *Maji.* Scalptu frictuque manuum diſparuere multæ in facie puſtulæ ſic, ut nonniſi rubram plagam reliquerint, idemque in dorſo. Inter bonas colore variolas ſubſiſtunt plures albidæ. Vultus minus tumet. Nox irrequietior.

7. *Maji.* Facies exſiccatur tota, inchoant & manus exſiccari.

8. *Maji.* Exſiccatio univerſalis. Vultus, artuumque ſuperiorum abeunte tumore, nullus tumor inferiores invaſit. Nox bona absque *Diacodio*, quod quia plurimum dormiebat, non dabatur. Ab *aqua laxativa* probe purgata eſt.

9. *Maji.* Omnia bene, niſi quod nonnihil rubeat oculus dexter. 10. quoque. 11. repetito purgante ſalus perfecta & conſtans.

§. VII. Diario abſoluto, corollaria adnectam, junioribus Medicis, ut quidem cenſeo, ad curam variolarum haud incongrua.

Ac 1mo quidem mala corporis prædiſpoſitio incerta admodum lege vel auget, vel non auget, periculum morbi. Puella §. II. vomitui chronico, eique haud ita pridem cruento, ob-

obnoxia, variolas copiosas quidem, mimime tamen malignas habuit. Puer §. III. Cachecticus atque Cacochymicus totus, ulcera Spinæ ventosæ sex diversis in corpore sedibus gerens, Scrophulorumque plenus, variolas adeo benignas habuit, ut nemo benigniores, imo benigniores adhuc iis puellæ, a cujus contagione sola, (domo enim exit nunquam;) contraxerat sibi morbum cujusmodi exempla innumera quotidiana praxis præbet. Puer §. IV. sanus quidem, at vero a teneris ad infantiles morbos quoslibet, ab acido, a dentitione, a morbillis, a spuriis, quas appellant variolis, oriundos, & diutissime, & periculosissime semper ægrotans, variolis malignis suis præsagium confirmavit: confirmaturus denuo in febre Scarlatina, cujus suo historiam loco dabo. Puella §. VI. & variolis haud sane per omnia benignis,

gnis, & duorum Caninorum dentium eruptione, una laborans, cursum utriusque mali breviter, feliciterque absolvit.

Porro hæc usus quotidianus ita confirmat, ut Veteranorum Medicorum nemo sit, quem ejusmodi prognosis haud frequenter fefellerit. Unde Inoculatorum dissidium componitur, hinc ab inoculatione in male dispositis facta, omnia infausta præsagientium, & observata testantium; illinc & male beneque prædispositis inoculationem indiscriminatim profuisse clamantium. Si in prima puella, primoque in puero, inoculatio facta fuisset, æque benignas; si in puero secundo, æque malignas, ac forte pejores, genuisset. Unde laudandi ii, qui ab inoculatione cavent in perspicua diatheseos pravitate, ne temeritatis pœnam luant inoculati: vitupe-

tuperio econtrario illi digni, qui variolas omnibus inſerunt indiſcriminatim, eoque digniores vituperio, quando inoculationis promiſcue factæ, nonniſi fortunatos laudant caſus, infortunatos autem, letalesque, alto ſilentio mergunt; quod nihilominus contigiſſe invictis demonſtrare argumentis poſſum.

Nec minus iniquum eorum judicium eſt, qui naturales Variolas, illasque potiſſimum, quæ Cacochecticos, atque Cacochymicos prehenderint, vix unquam, niſi aut malignas, aut letales, voce ſcriptisque clamitent: namque quinque puerorum meorum unus aliquam, tres gravem prædiſpoſitionem habuerunt, & nihilominus, tam integram, tam citam, tamque conſtantem ſanitatem adepti ſunt, ut etiam a feliciſſima inſitione, qui parem adeptus eſt, fortunatus habeatur.

Secundo. Afflantis incertum eſt contagii tempus. In pueris §. III. & §. V. die 21. adparuit, in eo §. V. die 18. Exempla habeo multa tam priorum, quam ſeriorum dierum: ſic ut ab ipſa contagioſa febre, usque ad perfectum ejus finem, nunquam tutum ſit Varioloſorum commercium, forte neque etiam in ſtadio aut contagioſo, aut inflammato.

Tertio. Incertum & tempus eruptionis eſt. Sine ullo percepto in puero §. III. tempore contagii, morbus cum ipſa eruptione incepit, quale quid quoque in puella §. VI. obſervatum fuit. Symptomatibus grave fuit contagii tempus, uſque ad finem alterius diei in pueris §. II. & IV. quando eruptio inchoabat; in eo, qui §. V. eſt, tandem exacto triduo eſt eruptio facta. In Pugillaribus meis, ad lectos ægrorum confectis, invenio an-

nis

nis abhinc ultra viginti notatam puellam, inter Variolosos noctu diuque conversatam, quæ febre ac symptomatibus contagii quatuordecim diebus laborarit, antequam erumperent pustulæ foras. Notavique ex iisdem *Thes. de Febr. Divis. pag.* 106. Epidemiæ tempore id solenne esse „ ut febris „ sive Variolosa, sive Morbillosa, bis, „ ter, pueros invadat, ac deserat; „ & vel nec redeat, vel tandem cum „ alterutra harum efflorescentiarum „ repetat."

Quarto. Utilitas aëris liberi, ejusdemque necessitas, in quovis acutorum morborum demonstrata toties, abunde hic confirmantur. Profuit in puella pueroque prioribus sic, ut illos pueros inoculatos Te contemplari videreris, quos in Nosocomio *Londinensi* se vidisse, miratumque fuisse testabatur, ludentes, garrientes, curren-

rentesque, Vir egregius *Hosti*. Neque malignitatis plenas Variolas in iis, qui §.4. 5.& 6. describuntur, aut emendatas fuisse, aut saltem non tam cito curatas, certum est, si calido, nec renovato in aëre, decubuissent. Nisi me animus fallit, hanc veritatem ex Physices & Jatreias principiis, Tomo XIII. Cap. I. adeo evidenter demonstrasse me arbitror, ut eo lectorem mittere jure queam. Porro si qua Athmosphæra perniciosa esse ægrotantibus possit, ea Variolarum est, infecta scilicet vaporibus, qui contagio scatentes, atque ab ægrotis assiduo inspirati, deglutitique, vehementer augere morbum possunt. Quantum etiam corrigendæ lustrandæque Athmosphæræ Strati mutatio faciat, nemini dubium esse potest, & ventilationem ipsius Lecti, Linteaminum, Stragulorumque consideranti, & Ægri expositionem seu in

ejusdem Conclavis parte, a lecto qui ventilatur remotiore, seu in vicino, quod præstat, Cubiculo; ut transpositis aliorsum ægris, lustrari cubiculum, januis, fenestrisque patentibus, possit: Lecti tandem ejusmodi situm, ut vel janua, vel fenestra, prout tempestas concesserit, aperta, aër purus sic fuget infectum, ut neque lectum, neque in eodem ægrum, recta feriat. Observatis edoctus asserui toties, assertumque repeto, præcipuam frequentioris interitus a Variolis, a Morbillis, a Scarlatina, a Febribus cum Exanthematis, atque ab ipsa Peste, caussam ex neglecto hoc Veterum consilio explicandam, corrigendamque esse.

Quinto. Ad felicem Variolarum curam sua balnea calida potenter facere intellexerat providus *Sydenhamus*, cum videret ægrum, eo tempore a lecto remotiorem, omnibus hisce emolu-

lumentis frui, quorum hic memini. Sed habent calida hæc artuum ſuperorum, infernorumque, Balnea id præterea emolumenti, ut abſorpta vaſis inhalantibus aqua, univerſum cruorem diluat; utque cutim laxando aptent, quo & facilius, & abundantius, eo feratur Veneni vis: unde efficitur id, ut parcior papularum manus vultum obſideat, maturiorque veneni fiat a Viſceribus vitalibus ad exteriora expulſio.

Atque hic morari convenit paulisper. Prorſum ignorare me fateor, quo tandem principio quædam Scripta nitantur, poſterioribus hiſce vario in loco excuſa temporibus, quorum is præcipuus eſſe ſcopus videtur, ut de cura Variolarum balnea proſcribant. Quanam obſervatione didicere eorum eruditi Autores, humiditate puſtularum in cute præpediri expulſionem, ſiccitate promoveri? Quid theoricæ

declamationes cum practicis observatis, cum puræ nudæque demonstratione Veritatis? An *Nicolus Florentinus*, an *Astatius Papiensis*, an *Petrus Forestus*, Brachiorum Crurumque balneo ad hos artus non provocarunt, ac promoverunt Variolosam Morbillosamque eruptionem? Ergone *Sydenhamus*, *Boerhaavius*, numerosique post illos Scriptores, non viderunt efflorescentes suis in ægris variolas, easque cum salutares, tum abundantes? Laudassentne in senectutem usque ejus rei usum, qua centies eruptionem aut retardatam, aut impeditam esse, experiri debuissent? Contigit illis, fateor, quod & mihi, ut peculiari cutis in cruribus dispositione rara papularum eruptio fieret; ceterum vero exemplo illorum balnea ea de causa perpetuo laudavi & adhibui, quod numerosiores Variolæ hasce, quam ceteras corporis par-

partes contegerent, locarentque in hiſce bonam ejus materiei partem, quæ alias pectus, collum, vultumque, fœdaſſet. Teſtem hujus rei in privatis ædibus familiam habeo, univerſum in Noſocomio Auditorium. Apage igitur a Medicina Theorias, quæ nitantur obſcurare in meridie ſolem.

Similis præterea farinæ eſt hujus commenti, quam vocant, confirmatio, & petita ex Variolarum in tecto ſemper capillitio abſentia, eo quod, ut ajunt, vapor capitis, repercuſſus a Capitali, puſtularum in Cæſarie nativitatem ſuffocet, quia humectat. Effanturne ſerio talia? Practicos enim ſi conſulant, innumerabiles ab his obſervatas eſſe variolas in tecta probe Cæſarie percipient. Videruntque Auditores mei mecum frequenter hic modicam, illic parem, ibi copioſiorem, quam reliquo in corpore, puſtularum

quantitatem; licet Capitalia non modo non imposita perpetuo, sed, ne decidérent, affixa capiti fuissent.

Profecto Theoriarum haud paucæ dantur, quas utpote in salubri auxiliorum usu nihil permutantes, intactas præterire & licet, & sæpe oportet; hujusmodi vero, plane inoratas hucusque, prætergredi non expedit, quod & Medicos juniores, & qui deficientis Medici officium explere sæpe debent, Chirurgos, circumvertere, ipsosque ægros in vitæ discrimen, jacturamque, conjicere possent, qui horum Librorum lectione corrupti, & ipsi balnea ab ægris ablegarent, & Viris, qui eadem experti, proposuissent, præfracte obniterentur.

Erronea hac Theoria deventum eo fuit, ut Viri, quos Medicina ab omni tempore suspexit, æternumque suspectura est, aut malitiæ, aut inscitiæ, in-

incuſari videantur, quod interanea plus minus Variolis obſita fuiſſe memorentur. Ajunt quidem id in ſuis, quæ incidere, cadaveribus ſe non inveniſſe: ſed an ideo omnes eos qui invenerint, ſe confodiſſe arbitrantur? Diſquirere hic loci nolim utrum papulæ, quas inhærentes viſceribus nonnunquam deprehendiſſe ſe ſcribant, Hydatidum appellatione juſte donarint; ſed reſpondeo primo, neque alios Scriptores ſemper, & ubique, interaneorum Variolas in cadaveribus inveniſſe: unde ſi ejusmodi Cadavera hi, quæ illi, nacti fuiſſent, etiam ne veſtigia quidem Variolarum ſe inveniſſe, poſteritati tradidiſſent. Secundo Obſervatio accurata me toties docuit, Puerorumque noſtrorum hiſtoria §. II. confirmavit, in locis cute deſtitutis, in Lingua, Buccis, Faucibus, utroque Palato, Labiis internis, variolas

ceteris citius evanescere; ita ut post 9. 10. 11. diem os universum ab illis mundatum esset. Unde id, ni fallor, conficere licet, quod Cadavera, post 9. 10. 11. diem Variolarum incisa, nulla earundem vestigia in visceribus gerant; eoquod hæc viscera cute destituta, variolas in rorifero suo domicilio alere eo usque nequiverint. Non diffiteor equidem haud pauca tradi, quorum fides penes Autores sit, quæque suam gerant in fronte fallaciam; at vero veridicorum quorumcumque Autorum, qui suo tempore Artis gloria fuerant, Patriæque ornamenta, sublestæ fidei habere, quod experimenta alia a nostris habuerint, intoleranda licentia videtur. Profecto non cogitant illi quam frequenter nos experimenta fallant, & quoties contingere possit, ut neque in triginta ac pluribus cadaveribus id deprehenderimus,

mus, quod in ſequentibus nihilominus haud inſolitum eſſe fateri cogimur: exempla hujus pars altera dabit.

Sexto. Quantæ utilitatis ſit apertura repetita puſtularum, earundemque unctio, auctioribus indies experimentis diſcimus, tam ad præcavendum aut inopinatum interitum, aut Metaſtaſes infortunatas copioſioris ſub cute puris, quam ad tuendam venuſtatem. Omnium noſtrorum puerorum exemplis hoc confirmatum eſt. Antiqua profecto Methodus eſt, quam ſæculis duobus ferme elapſis ex Vindobonenſi Cathedra ſuos Diſcipulos docebat *Joannes Marquardus Viennenſis*, poſteaque Cæſareus Archiater *Raymundus Joannes Fortis*, quam dudum quoque *Galli*, *Italique* laudabant; quam apud quasdam *Batavorum* familias traditione ſacram deprehendi; & quam

tamen paſſim obſoletam tota pene *Europa* vidit.

Octavo. Sectionem Venæ, eamque non raro iteratam, in quavis variolarum, morbillorum, ſcarlatinarumque, periodo, ſæpe adeo neceſſariam, ut tota ab ea ſalus dependeat; etiam utiliſſimam perpetuo variolis ſiccatis, decidentibusque, deprehendi conſtat. Inde enim fieri me convincit obſervatio, ut materiæ purulentæ, in panniculo adipſo relictæ, evacuatione facta, non conſequantur partium quarundam mutilationes, viſcerumque corruptiones.

Nono. Lac cum aqua ſaluberrimum potum varioloſorum morbilloſorumque eſſe, experientia multiplex confirmat. Experti potus hujus uſum nonnulli inſitionis patroni lactantium infantum inoculationem urgent, eoquod lacte, potu omnium in variolis

ſa-

ſaluberrimo, unice nutriantur; hanc ſuam ſententiam etiam *Arabum*, in variolis naturalibus cura roborare conati. Quia autem tuſſis hos ægros quatere, inflammationemque Pectori haud infrequenter minari ſolet, laudatum ſupra Pectorale Viennenſium decoctum, cum lacte miſtum, potum laudabiliſſimum præbet.

Decimo. Conſtat denique quantopere ad malignitatem variolarum aut præcavendam, aut corrigendam, conferat frequens mutatio lecti, longior per diem ex lecto mora, mentisque hilaritas luſu, gratis objectis, Muſica, confabulatione, obambulatione conciliata: quas res omnes noſtris ægris ſedulo conciliantes, utiliſſimasque experti, inoculatorum experientia confirmari lætamur.

Atque hæc demum illa Methodus eſt, qua ut hic, ita alibi ægrorum

rum meorum plerosque, DEO, a quo omnia, & quo ſine nihil, obſecundante, & in vita ſervavi, & a mutilatione, aliisve morbis, qui in ſtationem ſuccedere variolis frequenter ſolent, præſervavi; ut catalogus in *quæſtionibus meis ſuper inoculatione* datus pro parte oſtendit. Inficias equidem non eo ejusmodi Epidemias nonnunquam graſſari, ut ſolito plures occidat malitia morbi, verum tunc quoque potiſſimum auxilium enarrata methodus præſtitit; quem enim dixi Catalogum, pravæ popularitatis infamia dedit. Quod ſi tandem unum alterumve hominem ſors iniqua rapuit, commune hoc cum inſitis variolis naturales habent, a quibus unus, & alter, & tertius, mori, in fideliſſimis inoculatorum Diariis perhibetur. *

§. VIII.

* Paucis modo hanc celebrem quæſtionem tango, fuſius de eadem locutus in Tractatu cui titulus:

§. VIII. Habere tamen id prærogativi inoculatio multis videtur, ut in ſanis, ætateque aptis, inſtitui; eruditaque haud ſecus, quam prudenti manu adminiſtrari ſoleat: interea dum e contrario morbus naturalis æque languentes adoriatur, quam valentes; æque & gravidas mulieres, & parturientes, & puerperas, quam virgines; æque decrepitos ſenes, quam infantes: dumque præterea variolæ naturales ſive imperiti vulgi inſcitia, ſive prava Medicorum, Medicaſtrorumque methodo, quotannis bonam mortalium partem tanquam falce demetant.

Mul-

Quæſtiones ſæpius motæ ſuper methodo inoculandi variolas. 1757. In tractatu gallico ad claros Viros *Condamine* & *Tyſſot*, 1759. cui titulus: *Refutation de l'Inoculation:* in *Reſponſo ad celeberrimum virum Tralles* 1764. nec non in *Tomo II. Rat. Med. ſub finem Cap. III. Tom. IX. toto Cap. VIII. Tomo. X. a pag. 311. ad 320. Tomo XII. Cap. VIII.*

Multa ejusmodi vera esse sponte quidem concedo, verum haud ita, ut eorundem mutationem emendationemque desperemus. Si Reges, si Reipublicæ, civitatesque omnes, optimam curandi methodum sermone patrio singuli evulgari, ejusque observationem lege, Concionatorum monitu, multaque exemplariorum copia, promoveri curarent; ingens hominum pars, ceterum peritura, in vita servaretur; cum compertum sit innumerabiles cum gravidas, puerperasque, tum senes & valetudinarios, mortis e faucibus hac methodo eripi. Hoc saltem eo usque optandum foret, quamdiu nec politica, nec religiosa ratione, probata cunctis inoculatio fuerit; vel, etiamsi sacris profanisque probaretur; quamdiu nondum demonstrata sit contagio suo populatiores non reddere variolas naturales.

In

Inane tamen hoc arbitrari consilium is forte possit, quem ea spes alit fore, ut propediem fiat popularis inoculatio; ejusdemque crebritate aut ipse morbus demum demto omni veneno fatiscat, aut non nisi infantibus recens natis insitionem facere ultra oporteat.

Haud sane hæc me, quæ illum, spes fovet. Diaria *Anglorum*, observata aliarum Nationum, apud quas hic mos increbuit, suppeditant nobis frequentiores a Variolis mortes, quam antequam ipsis inoculatio innotuisset: unde id conficiamus oportet, ut auctum inoculationis occasione contagium vel longe numerosiores homines afficiat, vel pluries feriat eosdem. Quantacumque enim cautela perficiatur hæc operatio, etsi etiam ruri duntaxat fiat, infectam Athmosphæram ventus ad vicinos pagos urbesque defert,

fert, & hominum adeuntium abeuntiumque commercium, deferunt forte omnium maxime lotrices, quæ putrida linteamina, pure inquinata, lavant, & ſiccant, & aut ipſæ, ut plura exempla memorantur, morbum conſciſcant ſibi, aut veſte, crinibusque, hoſpitante contagio eis, quos conveniunt, eundem concilient. Nec nos ſinunt Necrologia dubitare. Ante illatam in *Brittanniæ* inſulas inoculationem, Necrologium *Londinenſe* notabat ex cunctis, quos mors integro decennio rapuerat, vigeſimam partem variolis occidiſſe; decennio ante inoculationem proximo, *partem undecimam*: priores hujus praxeos in ea urbe rarioris annos non moror; ſed ex quo poſt annum 1750. frequentius inoculatum fuit, notatur in hoc decennio *decima cum dimidia pars*; ſequenti quadriennio *nona*; anno vero 1756. pars ſeptima. Ne-

Necrologium annuum *Londinense* docet, a principio hujus sæculi multam quidem differentiam non inveniri in numero illorum Mortuorum, quos morbi omnes, Casusque, sustulerint, at vero in eorum numero, qui variolis perierint, differentiam haberi notabilem tempore eo, quo frequenter inoculatum fuerit. Ab anno 1731. ad annum 1752. fere quintuplo plures variolis interierunt, quam in simili annorum numero ab anno 1701. ad 1722. Ex calculo vero dato ante quadriennium a Viro egregio *Waston*, *Soc. Angl. & Colleg. Reg. Med.* Socio, constat ab anno 1758. usque ad annum 1767. mediam circiter occidisse varioloforum partem plus, quam primo hujus sæculi decennio, licet utrumque hoc decennium numero hominum, a morborum universitate denatorum, vix inter sese differret.

Videtur profecto hæc observatio inoculationi minime patrocinari. Video quidem in recentioribus scriptis Viros claros esse, ipsis *Anglis* ad hoc ingenue fatendum difficiliores, eamque nobis disparitatem objicientes, quam nobis duo priora hujus sæculi ineuntis decennia, dum de inoculatione necdum somniaretur, præbent. Sed perpendant hi, quæso, nobiscum, quam frequenter dispar sit, his, atque illis temporibus, Contagii virus. Annon sic ab anno ad annum differre practici comperiimus? cur anno 1681 *Londini* mortuorum universorum septimus quisque a variolis interemptus deprehendebatur, & triennio post centesimus quadragesimus nonus duntaxat? utique notum singulis Practicis est, in gentem humanam variolas benignitatis tantæ sæpe immitti, ut qui iis afficiuntur, ne vel trucidari qui-

quidem a Medicaſtris queant; nonnunquam vero tantæ malitiæ, ut etiam experientiſſimi Viri ſibi nonnullos eripi doleant, & minus, nihilve experti rerum, decimi, ſeptimi, imo & quinti, quartique ſuorum lugeant fatalem ſortem: at vero jam ejusmodi malignitatem & perpetuantem ſeſe, & incredibiliter increſcentem affligere *Londinenſes*, idque eo potiſſimum tempore, quo duo trientes, aut media modo civium pars, afflari, inficique contagio poſſit, eo quod tertia, aut media incolarum pars per inoculationem a morbi invaſione tutata eſſe credatur, hoc, inquam, ſilentio tranſire non permittit boni publici amor, urgetque potius omnes, quorum intereſt, rem ſeria mente perpendere. Graviſſimum *Galliæ* univerſæ ſenatum primo, Ampliſſimum Magiſtratum *Haga-Batavum* deinde, & Ampliſſimum Magi-

ſtratum *Lugduno-Batavum* hoc ipſo, quo ſcribo, anno, permovit, ut hanc operationem ad tempus aliquod de finibus proſcriberent ſuis.

Si res ita ſe habet, etſi daremus inoculationem ſingulis prodeſſe, quibus fit, eam detrimentoſiorem morbo naturali eſſe, quod tertiam partem plus illo mortalium populetur, ingenue fateamur oportet.

§. IX. Porro hujus conſiderationis momentum ad alia auxilia contra hanc peſtem quærenda Medicorum principes, horumque Diſcipulos, claros ſane in arte viros, permovit. *Bohnius*, *Etmullerus*, *Spieſſius* & *Graffius*; tandem plusquam ſexaginta abhinc annis, *Hermannus Boerhaave*, crediderunt in *Mercurio* ac *Stibio* ad ſummum penetrabilitatis gradum chemica arte perductis, contagium ſic cicurari poſſe, ut ab homine ſuſceptum, aut nullas

in

in eo, aut perpaucas, benignasque, variolas generaret. In ſpurio opere practico *Boerhaavii*, quod ex notis Auditorum, in Lectione factis, prodiit *Patavii* anno 1728. & *Londini* 1731. legimus jam anno 1712. eum hæc docuiſſe, imo in ipſo textu primæ ſuorum Aphoriſmorum editionis anni 1709. hæc habentur. Diſcipulorum autem teſtimonio hunc textum §. 1392. anno 1712. ſic explicuit, poſtquam utriusque hujus ſemimetalli meminiſſet: „Verum cum tot Adverſarios hæc improbantes habuerim, in hujus uſum non continuavi: ego hanc rem felicioribus indagatoribus relinquo.“ Auditores ſubſequentium annorum teſtantur ſimile quidpiam ad hanc paragraphum ſe ab eo audiviſſe. Quatuor ſtudiorum curſibus magni Præceptoris auditor, eum ſimilia proferentem audivi; & qui ſingulis annis to-

tum ejus sermonem in Lectione chartis mandabam, quæ *novem crassis in Quarto tomis* meam Bibliothecam exornant, notavi anno ultimo, qui erat 1735. hæc incomparabilis Viri verba: „ Olim talia quidem dabam, & suc-„ cessus inde videbam: at vero cum „ inter multos sanatos infans more-„ retur, clamabant peremptum a me „ infantem esse; unde pertæsus de-„ stiti. Antimonium diaphoreticum „ cum suo Nitro fixante, fecit mira-„ bilia haud ita pridem. Cinnabaris „ nativa cum triplo sacchari trita, „ tacite data, benignissimas variolas „ dedit. " Anno autem 1733. commendabat nobis ad eundem textum Librum viri egregii *Lobb*, quem, Londini editum, redux ex *Brittanniis Bassandus* ipsi adtulerat, ut ibidem quid *Antimonio* & *Mercurio* Medicus adversus variolas valeret, indagaremus. In

Li-

Libro dicto: *Eloge critique de M. Boerhaave pag.* 140. ipſo eodem 1733. anno in Epiſtola ad *Mortimerum* hunc *Lobbii* tractatum ſumme approbavit *Boerhaavius*: „ Quem perlegi, inquit, probavique; nam plenum vidi veræ ſcientiæ Medicæ, promittentemque genti humanæ plurima bona. " Pauloque poſt ad eundem ſcribens: „ Si placet, inquit, poteris egregius *Lobbius* evulgare ſic, ut in litteris meis ad te habetur, ſententiam, quam veri amor expreſſit. Nec *Lobbius* ſolus, ſed & *Hilarius*, & ill. Archiater *Roſenius*, inceptis hiſce inſiſtentes, rem promovere ſatagebant. Tandem Medicus Haga-Batavus, *van den Boſch*, non minus practica, quam erudita diſſertatione, hanc materiem fuſius tractavit: cujus cum orbem univerſum interſit, nullus dubito quin quod lingua patria, ceteris nationi-

bus mortua, ſcripſerit, in Latium, quo reliquis *Europæ* gentibus proſit, transferre protinus velit.

Ex cunctis denique hiſce conſtat *Aethiopem mineralem*, *Mercurium ſexies ſeptiesve ſublimatum*, quod *Calomelanos Turqueti* nomine venit, *Mercurium Diaphoreticum Iovialem*, ſic *Helmontio* monente paratum, ut ne reviviſcere Mercurius ultra queat, & *Mercurium animatum Solarem*, præſtantiſſima auxilia eſſe ad variolas aut prævertendas, aut benigne acquirendas.

Si *Gallos* ſcriptores, & *Anglos*, & *Germanos*, *Batavosque*, & *Italos*, qui inoculationem poſteriores tractarint, conſulamus, comperimus eorum complures eſſe, qui *Argenti vivi*, *Antimonii*, *Sulphurisque* virtutem, impenſe laudent nobis, cum ad præparanda inoculandorum corpora, tum ad earundem mite genus iisdem conciliandum:

dum: alios autem, qui hæc Foſſilia non præbeant, niſi cum *Jalappæ* Radice, aliove purgante, miſta; unico vermium expellendorum ante eruptionem ſcopo: alios iterum, quibus horum nulla, verum unice foliorum ſennæ infuſum placeat; quo & in præparatione, & eruptione, maturatione, atque exſiccatione, ventrem aſſiduo fluxum, quod præprimis arrideat illis, ſervare geſtiant: alios denique, qui & omnem prorſus corporum præparationem, & omnem omnino remediorum, ſive ante morbum, ſive in morbo, exhibitionem damnantes, non parciore ſanandi fortuna, quam qui iisdem utantur, ſuperbiant.

Si ſingulis a partibus, tantopere oppoſitis, veritas ſtet, ſingula profecto argumenta perutilia ſuppeditant, nobilem, quæ diſcutitur, materiem, clara in luce locantia.

Primo quippe ſi inoculatio haud minus fortunata *Mercurio*, *Stibioque* non datis, cedat, quam iisdem datis; illi, qui per eadem & præparanda corpora eſſe, & in morbo ſuffulcienda, hucusque cenſuerant, ſuæ opinionis vanitatem velint, nolint, fateantur oportet.

2do Qui citra omnem aut ad morbum præparationem, aut in morbo medicationem, ſuam inoculandi felicitatem gloriantur, id nihilo ſecius fateri debent, pluribus Inſitorum millibus nullum acceſſiſſe a *Mercurio*, *Stibioque* detrimentum, niſi illorum Scriptorum ſuſpectam habeant in referendo fidem. Quid porro ſi & illi hos ſuſpectaverint? Igitur ut Talio evitetur, ſtat ſui cuique fides.

3tio Cum laudabilem Diætam, Aëris liberum uſum, tenuia tegumina lecti, diurnam a lecto abſtinentiam,

mo-

motum corporis, animi refectionem, hilaritatem, jocum, lusumque, & ad ægritudinis cujuscumque adparentis initia motum in aëre libero gestatione, vectione, equitatione, conciliatum, hæc tamen & qui remedia plura dederunt, & qui pauciora, & qui tandem nulla, tanquam præsidia, quibus nemo citra vitæ periculum frustrandus foret, uno omnes ore laudaverint; tuto, ni fallor, concludere possumus, non in medicamentis, verum in hisce præsidiis, insitionis sitam fortunam esse.

4to Si *Antimonii*, *Viviquc argenti* dationem infinitorum propemodum experimentorum vi inculpatam fateri cogimur, nullum nobis argumentum superest, quod tantorum Virorum de hisce dandis consilio opponamus.

5to Incipiente itaque Variolarum popularitate, quosvis oporteret, nec-

dum

dum easdem perpeſſos, hiſce remediis, juſta ætatum proportione, adverſus contagium, contagiique effectus, præmunire: ſin vero Variolis aut ignotis, aut raris, unus eſſet alterve, quem earundem invaſio propius minitaretur, intereaque Medicus primo inſultu ignarus, an non alia forſan febris, horum Foſſilium impatiens, non ſubeſſet, hæc exhibere ægro vix auderet, ſaltem variolis erumpentibus exhibere poſſet, eaque omnia præſidia adhibere, de quibus unanimiter convenit.

6to Per hæc omnia *Sydenhamo, Boerhaavio*, fidisque illorum Diſcipulis, honor abunde reſtituitur, quem iis rapuerant ii, qui in Variolis, in Morbillis, Petechhis, ſimilibusque ſuperficiei Corporis morbis, plurimam ſtrati abſentiam, qui liberioris, temperatioris,

tioris, mutatique perpetuo aëris usum, qui tenuia lectorum opercula, qui moderatum animi corporisque motum, Sanitatis detrimenta, vitæque dispendia arbitrati, in eosdem, veluti in carnifices, homicidas, generisque humani pestes, invehi non verebantur. Ipsi Inoculatorum plures mentis candidæ Viri, palam fassi sunt eo *Sydenhami*, ac *Boerhaavii*, in Naturalibus Variolis exemplo se permotos fuisse, ut apud Inoculatos idem imitarentur, præcipuamque curæ fortunam ab hac imitatione pendere.

7mo Spes nunc multa fovet, fore ut naturalium Variolarum curam emendent cum Medici, tum Chirurgi, ipsique cuncti Cives, qui suorum curam ipsi gerere, quam Medico committere, malint. Novi equidem esse, qui quod decimum quemque, aut saltem

tem vigesimum, a Variolis naturalibus duntaxat amittant, felices adeo se existiment, ut methodo non egeant emendatiore. Cogitent autem hi, si meliorem methodum amplexi, unicum modo ex centum perdituri fuissent, an SUPREMUS JUDEX vitam decem, aut quinque saltem hominum repetiturus ab iis non sit, quos servare potuissent, jamque obstinatione inflexibili, ac voluntaria in tanta luce cæcitate, vita privarint?

8vo Hæc laudatissima Methodus Mortalibus tandem acceptissima fiat necesse est, cum morbum & longe tolerabiliorem reddat, & multo breviorem. Qui enim duabus tribusve septimanis caliginoso in carcere, propriis suis, iisque putridissimis vaporibus infecto, detinebatur; qui totidem Septimanis in Lecto sub confertorum stragulorum pondere sepeliebatur; qui

cum

cum athmosphæræ, tum proprii corporis, calore æstuabat; qui denique dies noctesque lugubri silentio transigebat; luce jam ac refrigerio, puro liberoque aëre, motu, lusu, amicorumque colloquio reficitur, recreatur.

9no Corticis peruviani non minus largum, quam diuturnum usum, neque Variolas præcavere, neque aut paucas, aut benignas eas gignere posse, notabile exemplum. Cap. VII. §. 1. docebit.

CAPUT VI.

De Morbillis.

Morbilli propter suam cum Scarlatina febre similitudinem ad sequens Caput relegantur.

Morbus est qui expositas nunc Variolas, exponendasque febres Scar-

Scarlatinas, cum benignitate, malitiaque, tum ſymptomatum natura & vi, ipſoque tractandi & curandi modo, æmulatur. Si qua tamen ſibi propria habere deprehendatur, quæ in Variolarum & Scarlatinarum pertractatione non traduntur, in ſequenti capite exponam.

CAPUT VII.

De Scarlatina Febre.

§. I. *Hiſtoria prima Scarlatinæ malignæ, cujus ſymptomata tam prodroma, quam concomitantia, enarrantur, Curaque adjicitur.* §. II. *Hiſtoria ſecunda, & tertia Scarlatinæ benignæ, & quarta malignæ, ac diuturnæ.* §. III. *Hiſtoria quinta Scarlatinæ maxime malignæ. Obſervatio de Unguibus eorum, qui hiſce laborarunt.* §. IV. *Medica Scarlatinæ hiſto-*

historia de ejus Antiquitate, ac Scriptoribus. Definitio ejus. Morbus altera sua periodo infamis est. Admodum & benigna sæpe est, frequenter maligna & letalis. Indagantur causæ, cur tantopere a se mutuo differant ejus definitiones? Inveniturque prior esse petenda ex eo, quod multi nisi benignissimam viderint: Secunda, quod variæ naturæ variis extiterit in mundi plagis: Tertia, quod hi cum Urticali morbo, illi cum Morbillis eam confuderint. Cura Stadii primi Scarlatini morbi, & secundi; secundi autem maxime. Laus Auri fulminantis.

§. I.

Dogmatice de hoc morbo egi in *Definitionibus Febrium*, ad quem librum Lectores refero: multa vero addenda illi habeo, quandoquidem hæc febris, proxima hyeme perquam popularis, latum mihi campum de eo agendi aperuit. Ut autem ordine agam, va-

riam ejus Historiam pro more præmittam.

Puer quinquennis, idem ille, quem Cap. V. §. IV. maligna eaque periculosa valde variolarum specie ægrotantem vidimus, Scarlatina febre die 6. *Febr.* 1771. binis proinde ante Variolas mensibus, laborare cepit. Sanus a biennio jam lævæ auriculæ dolorem conqueri cepit, vagumque eum, molestum, rubentem, tumentemque, ac somnum ea, sequenti, tertiaque nocte, turbantem.

Die 9. *Febr.* Dolor nunc invadit pedem sinistrum ad Tarsi cum Metatarso articulationem, extento pede gravior, commodumque ingressum impediens.

10. *Febr.* Perseverat dolor, imo & ventrem nunc occupat.

11. *Febr.* Jam dextri pedis dolor tantus, ut tota die, inque horam ter-

tiam

tiam ſequentis, continuo ejulet puer: tumente poſtmodum pede, minus dolet.

12. *Febr.* Sub noctem pedem alterum dolor de integro invaſit, nec, niſi ad horam 3 diei 13. *Febr.* intumeſcendo miteſcebat, tactu tamen adhuc percipiendus.

14. *Febr.* Nullus ultra adeſt aut dolor, aut tumor pedum, & belle habere ſe puer videtur: a prandio vero capite ac præcordiis dolens lectum petiit ad veſperam usque. Surrexit. Veſpertina octava nihil appetens repetivit lectum, ardorem conqueſtus; in lecto inquietus, jactitavit ſe continuo. Vident jam parentes lumbos rubeſcere, internasque ac ſuperiores femorum partes latis rubicundisque plagis pingi. Sitiens multum bibit. Igiturne materies morbi partium extremarum interiora integro octiduo

alia post alia invasit, jamque demum in Scarlatinam abivit, relicta sede priore? Die 14. rubræ plagæ augentur.

16. *Febr.* Deglutitio læsa advertitur, oculorumque ac faciei rubor. Apositia, excepto momentaneo meridie appetitu.

17. *Febr.* Omnia ut heri, sed minus intensa rubedo.

18. *Febr.* Mane præ manuum dolore ejulat, qui vespere auctus, & tumens. Ad singula digitorum internodia rubor, tumorque succedens, motum, tactumque refugiens. Rubedo inferiorum hodie remittit, superioribus in partibus manifestior fit; præprimis autem in facie. Universi corporis ardor. Neque die, neque nocte somnus.

19. *Febr.* Cessat hodie manuum rubor & dolor: pergunt dolere fauces, cor-

corpus ardet, nares obturantur, vox minus intelligibilis fit. Ab hoc die febris valida cum ſymptomatum incremento alterno die obſervatur, una cum reſpiratione plus minus læſa, tuſſi nocturna, vigiliis, frequentique delirio. Qui prioribus, noctibus profuerat *Diacodii ſyrupus* poſterioribus profuit nihil. Alvus non prodiit, niſi alterno die clyſmate ſollicitata.

Perrexit autem morbus ſic ad 1. Martii usque, ſcilicet usque ad diem 23. cepti doloris, tumorisque, ad diem 16. obſervatæ rubedinis.

Itaque 1. Martii die in conſilium vocor. Cum Remittentis febris natura conſpicua pateret, concluſum fuit tempore remiſſionis Corticem peruvianum exhibere, eumque præ ingenti ingerendorum Medicamentorum difficultate, ſalis eſſentialis dicti forma; ea lege tamen, ut ſi febris

nihilominus ingravesceret, sanguis mitteretur, cruribusque admoverentur Vesicantia. Vox vix ultra intelligibilis, & obturatæ nares. Die 2. & 3. Martii mitius habere videbatur.

4. *Mart.* propter enormem Paroxysmi violentiam, sanguinem vespere ex dextro brachio misimus, & cruribus Vesicantia adhibuimus. Levatus puer inde, bonam noctis partem dormivit, liquidi multum hausit, ad auroram sudavit.

6. *Mart.* Febris mitior multo. Bullas excitarant Cantharides. Hodie extracti Corticis peruviani uncia, mista cum edulcorata probe mistura, uti cepit, atque integram singulo plurium sequentium dierum evacuavit; inquietus tamen fuit, nec audibilem edere vocem potuit. Credebantur vermes alvo prodire, sed accuratius examinata re, non nisi longa filamenta glutinosa erant.

7. *Mar-*

7. *Martii.* in interna Bucca dextra tres puſtulæ viſæ mox repletæ, albidæ, latæ; ad quas, ne maligni quid inde, ut in Scarlatina haud perrarum, propullularet, ſuccus ſempervivi majoris cum melle roſaceo admovebatur. Comedit hodie appetenter, tranquilleque trihorio dormivit: nox inſomnis autem, & reſpiratio difficilis. Evulſitque naribus magnam concreti glutinis portionem, cum leviori mox reſpiratione.

8. *Mart.* Mane horis ferme quinque dormivit, evigilans primum veſicantium dolorem conqueſtus eſt. Pus formare illa inchoant. Pauca febris. Vox intelligibilior. Mens hilarior. Appetitus. Veſpere copioſa ab enemate alvus. Somnus tota nocte tranquillus.

9. *Mart.* Urinæ naturales. Tota die luſit, hilaris fuit, ac bene comedit.

Continuat corticis unciam ſumere. Spontanea alvus. Nox bona.

10. *Mart.* Latæ in ore maculæ diſparere videntur. Die 11. & 12. ſpontanea alvus. Functionibus omnibus ad ſanitatem redire videtur. Sicque ad 28 usque. Scrofulæ colli in hoc morbo natæ, permanent: a 24. Martii Epidermis de pedum plantis deſquammari cepta. Cortice uti pergit.

5. *Apr.* Curru vehendus ſerenioris auræ capiundæ gratia, vertigine affectus eſt; vectus melius habuit, unde & vectus die 6. & 7. eſt; quo eum die Variolæ invaſerunt, ut cap. V. habetur; ſic ut neque humorum tanta per Scarlatinam purgatio, neque diuturnus adeo antiſeptici Corticis uſus, neque tandem exactus victus, tutari puerum a variolis, iisdemque admodum periculoſis, potuerint. Plurima ejusmodi in praxi vidi. Vide *Theſ. de Febr. Cap. de Variol. Morbill.*

§. II.

§. II. Frater natuque minima Soror, cujus utriusque Variolæ Cap. V. deſcriptæ fuere, Scarlatina etiamnum correpti ſunt, miti autem, nihilque malignitatis habente. Pater vero, vir 43. annorum, excepto antiquo ventriculi acore ſanus, die 25. *Febr.* ad 7. veſp. Angina laborare cepit. Erat dies 19. ex quo primum conqueri filius ceperat; & dies 12. ex quo in eodem animadverſa Scarlatina fuerat. Inquiete hac nocte dormivit.

26. *Febr.* Ad horam 5. evigilans, toto corpore pruriit, luceque admota ſe totum Scarlatina tegi advertit. Plagæ latæ erant, æquales, leviter eminentes. Notæ febris haud aderant mane, in lecto autem manenti febris acceſſit, gravior Angina fit; proſternitur appetitus, ſitisque invadit immanis. Potui aqua pura fuit, infuſum herbæ Thææ, & Emulſio. Nocte aliquantum dormivit. G 5 27.

27. *Febr.* Moderata febris. Caput cum heri, tum hodie, perque omnis morbi tempus, serenum. Sumsit *Aq. Lax. Vienn. unc. V* cum *sale Sedlicensi*, a qua post mediam horam sursum deorsumque vehementer purgatus est, & adhuc vomuit vespere. Morbus cæterum idem. Ab uno *Opii* grano non dormivit quidem nocte, sed amœna corporis animique tranquillitate gavisus est.

28. *Febr.* Ab hora 5. ad 7. dormivit. Morbus idem, artus inferiores superioresque Scarlatina nunc occupat. Vespere dabatur *Opii* sesquialterum granum, quia syrupos non fert, duas in doses divisum: variis horis sumta utraque magna animi γαλήνη beavit principia noctis, reliquam vero noctis partem inquietudo, lassitudo, spectraque veluti obversantia visui, turbarunt, ad 5. matutinam usque.

1. *Mart.*

1. *Mart.* Ab hora 5. ad 10. profundus ſomnus. Medicorum præſentia evigilans, obdormivit illico ad 3. pomeridianam. Surrexit tunc lecto, refectus ſomno, & melius ſe per omnia habens. Nocte inſequente ſponte dormivit, & ſudore fætidiſſimo, multumque levante, maduit.

2. *Mart.* Diem totum bene transegit. Manus pedesque tument. Nox optima.

3. *Mart.* Die ab eruptione ſexto, ſumſit mane *Rhei*-dragmam, quia hauſtus repudiat omnes. Optima inde purgatio alvi.

4. *Mart.* Corrugari incipit manuum tumida cutis; urina fuſca reddi, turbarique; minor autem corporis alacritas, vigorque percipi. Pedum tumor idem.

Mor-

Morbi hujus hoc ipſo tempore malignitas, & in Filio manifeſta, & in aliis, tumor inſequens in non paucis ægris perniciofus, ac letalis, tandem Caſus brevi memorandus, in cauſa fuere, cur ad Corticem peruvianum confugerimus. Itaque ſumſit ejus pulveris unciam mediam quotidie ſpatio 21. dierum. Singulis quartis diebus autem ſcrupulos duos Rhei. Tumor pedum ad 14. morbi diem perſeveravit; poſtmodum ubi ſurrexerat rediit, veſpere plerumque manifeſtior. 20. die penitus defuit. Deſquammatio aliquando farinoſa, aliquando fruſtulatim, continuis quartuordecim diebus obſervabatur in manibus, atque in abdomine; a 20. autem die ea brachiorum crurumque cepta eſt: tota vero deſquammatio, eaque per lacinias ingentes, ad 40. & ultra morbi diem,

diem, perſeveravit. Integerrima, conſtansque ſecuta ſanitas eſt.

§. III. Ancilla cubicularia ejusdem familiæ, annos 23. nata, quæ Variolas ac Morbillos infans toleraverat, narium hæmorrhagiæ obnoxia, frequentiorique Anginæ, ceterum ſaniſſima, menſtruoque fluore ordinato ſic gaudens, ut deſcribundo mox in morbo conſueto tempore fluxerit; hæc, inquam, febre 24. Febr. ad veſperas corripi cepit. Erat hic dies 14. morbi filii natu majoris, & pridie quam eodem corripi ceperat Pater familias. Ipſa autem veſpera, qua febrire occepit, rubedo ſcarlatina jam aderat, eodemque momento gravis Paraſynanche.

Sumta die 25. Febr. *Aquâ laxativa*, probe purgata eſt, egregie bibit antiphlogiſticos potus, gargarizavitque cum iisdem. Febris interea & rubedo

do ſcarlatina, augebantur. Quapropter ad alterius diei morbi finem vena brachii ſecta eſt. Sanguis perquam inflammatorius.

27. *Febr.* Venæ ſectio repetita eſt die tertio medio. Bonus, qui tunc prodiit, ſanguis fuit. Ad ejusdem diei finem, propter morbi, anginæque incrementum, detractus eſt ex pede ſanguis. Ilico poſt fluxus menſtruus ſtato ſuo tempore prodiit. Cum illis in ædibus oneroſa admodum eſſet, egoque hujus morbi demonſtrationem in Noſocomio geſtirem, curavi ad 9. veſp. carpento eam eo devehi.

Mox eam in Noſocomio examinans, video utriusque ruberrimæ Tonſillæ molem adeo auctam, ut ſe in medio contingerent, pendulamque Columellam poſt easdem. Celer valde ac compreſſus pulſus. Nihil fere

re ea nocte dormivit, jumentosam urinam minxit. Cataplasma emolliens, atque discutiens, ea nocte gutturi circumpositum, sic profuerat, ut duas libras Aquæ Avenæ cum melle ac nitro bibere potuerit.

28. *Febr.* Calor 102. gr. Gargarizare recusanti blanda facta in fauces injectio est: vomens inde, ipsa coegit se ad gargarizandum, fecitque egregie id toto morbi tempore. Ab enemate pauca alvus. Meridie uncias duas *Aquæ laxativæ* sumsit; cujus bona portione evomita, alias duas post trihorium uncias hausit, retinuit, terque pauca egessit. Assumtorum pleraque hoc die vomuit, ipsumque *Emulsum*, cujus libræ uncia *syrupi Diacodii*, & media *Nitri* dragma, inerant. Potum ex Baccis Caffe cum lacte ardenter petivit, non evomendum rata; sed & illum pariter vomuit. Horam

vespe-

vespere dormivit. Pulsus tunc celer admodum, nunc liberior, nunc obscurior. Vario quoque tempore anxia magis, liberiorque, respiratio. Ingens faucium dolor, sitis, lassitudo, Catameniorum interea requisitus fluor. *Syrupi Violarum*, ac *Rubi idæi*, partes æquales faucibus continuo adplicat, & deglutit. Emulsum bibit, & Jura carnis. Calor vespere 103. graduum est. Vix sesquihoram, idque per intervalla, dormivit.

1. *Mart.* Calor 102. gr. Tumor quidem faucium paulo minor, sed non minor ideo dolor, nec minor vomitus. In gravi hac Parasynanche mirabamur absentem auris internæ dolorem. Accessit Ischuria 24. horarum. Cathetere urinæ turbidissimæ Libram eduximus. Vespere iterum sesquialteram libram. Ad horam 7. & 11. datæ denuo sunt duæ *Aquæ laxativæ* un-

unciæ, unde non vomuit quidem, ſed vix quid depoſuit. Mane pulſus celer admodum, ſed liberior, veſpere adhuc celerior. Reſpiratio difficilis. Calor 101. gr. Ab *unc.* II. *ſyrupi Diacodii* vix horam dormivit.

2. *Martii.* Calor 102. gr. Pulſus celer valde & compreſſus, ſemper tamen æqualis. Reſpiratio difficilior. Tumor faucium minor quidem, ſed vehementior dolor. Unde unciæ XIV. ſanguinis detractæ. Ingens cruſta ſanguinem texit. Sub finem venæ ſectionis animo defectura, reficiebatur mox aceti vapore. Inde multo liberior pulſus, minusque celer. Urinæ jumentoſæ libra ad meridiem educta Cathetere fuit. Hoc mane gutturi Cataplaſma circumpoſitum eſt ex *fermenti panis*, *ſaponis lotricum*, & *ſinapi ut in menſa comeditur*, *a p. æq. pulte*, laborioſeque renovatum per dies

complures. Serum lactis cum *Tamarindorum* fructu coctum, & cum unciis tribus *Syrupi Rubi idei*, ut fauces id ferrent, mistum, bibit quantum potuit. Oculi multum dolere inceperunt; collyrio quod ex *Aqua Rosarum unciis sex*, & *Florum Zinci dragma* parabatur, brevi consanuerunt. Cataplasma vix aliquot horis admotum gutturi fuerat, quin jus carnium Vitello ovi mistum peteret, deglutiret, nec vomeret. Vespere cum celeriore quidem at libero tamen pulsu, minus se pectore faucibusque dolere gaudebat. Ad noctem tamen os aperire, quo fauces paterent, non potuit, & subinde deliravit. Menses hodie substiterunt. An quod parcius debito fluxerint? An ob detractum quater largiter cruorem? An errore Chirurgi, qui non intelligens tundendam in pede venam fuisse, eam brachii tutuderit?

rit? Ad noctem calor 101. gr. Nocte nec urinam reddidit, nec alvum. Bis ſumta *Syrupi Diacodii uncia*, recte dormivit.

3. *Mart.* Pulſus minus celer, multoque liberior. Reſpiratio facilior. Dum lectus mane reficiebatur, primum remotius inde ſedit, deinde ancillis ſuffulta circuivit per conclave ſpe mingendi, ſed incaſſum. Quamobrem ad meridiem Cathetere uſi, uncias decem urinæ eduximus. Hora autem quinta poſtea primam urinam ſpontanea reddidit, bisque adhuc poſtmodum, cito olentem. Pauca a Clyſmate alvus. Vomitus nullus. A dente carioſo Odontalgia. Deglutitio facilis. Reſpiratio peſſima ſæpe, gargarizando ſtatim emendata, ut a copioſiore faucium glutine lædi videretur. Calor 101. graduum. Ab eadem *Syrupi Diacodii*, qua heri, quantitate ſomni breves quidem, ſed frequen-

quentes, anxii nonnunquam, ſæpe liberi.

4. *Mart.* Calor 101. gr. Os nunc aperit, ut poſſimus fauces intueri; quæ multum quidem tument, at multo, quam olim, minus; proque intenſa rubedine cunctæ albeſcunt, in dextris potiſſimum, ubi omnia pure albo perfuſa videntur. Continuamus uſum Cataplaſmatis ejusdem, ejusdemque gargarizatus. Tendines crebro ſubſiliunt. Celer multum, æqualis autem, liberque, pulſus eſt. Anxie ſæpe reſpirans, ſolamen ter quæſivit in ſedem conſidendo, in eaque non pendula ſedit, ſed firma erectaque. Oculi meliores. Appetitus aliquis. Sitis pauca. Gargarizatione, atque injectione frequentibus, ingens cum glutinis, tum puris copia, crebro ſolvitur. Pluries hodie dormivit parumper. Pauca a Clyſmate alvus. Urina

ter

ter ſponte miſſa, turbida & redditur, & manet, citoque fœtet. Calor veſpere 101. grad. Inquieta ac moleſta nox. Moroſa fuit. *Diacodium* reſpuit, aliaque.

5. *Mart.* Calor 102. grad. Pulſus celer eſt, & valde ſuppreſſus. Reſpiratio per intervalla facilior, & difficilior, pro more. Faucium minor tumor, ſed major dolor. Jamque nonus dies præteriit morbi.

Exemplo aliorum, in Gangrænam, mortemque, hoc modo tendentium, perterritus, Corticem peruvianum exhibendum eſſe decrevi, ſingulis ſeri lactis Tamarindinati libris guttas ſex ſpiritûs Vitrioli addidi, attentus modo an ferrent fauces? Porro commode hæc tulerunt, emendatæque fuerunt ſic, ut deglutitio libera fieret, appetitus rediret, & per intervalla ſomnus.

Quater pauca alvus. Bis reddita urina turbida, ex fuſco rubra. Semihoram ex lecto fuit. Pulſus tota die celer admodum. Reſpiratio anhелoſa ſæpe, ac ſonora, doloremque ſiniſtri Thoracis lateris conjunctum habet; unde & emolliente cataplaſmate involvebatur latus. Gargarizatu, & injectu, fauces hinc inde rubicundæ quidem, at vix ultra tumentes.

Corticis autem decoctum in hiſce ſenſilibus, atque irritabilibus faucibus haud facile ferendum, mitificare debui ſic, ut demum varia tentando modum, quo id ferrent, invenirem. Is porro talis erat. ℞. *Cort. peruv. pulv. uncias tres. Coque biborio pura aqua, libræ tres colatæ d. u.* Ad hujus *uncias quatuor ſolius ſyrupi Rubi idei uncias tres* adjici oportuit. Sumſit ſingula hora unciam, & ſæpe quid plus, ita ut nucthemeri tempore totum evacuaret,

idque

idque a die 9. morbi ad 31. usque: ex eo vero tempore bidui ſpatio id abſumſit. Porro ex hiſtoria nunc danda hic uſus longior atque copioſior peruviani Corticis plene, ni fallor, juſtificabitur.

Calor veſpere 101. gr. Nocte non dormivit, & ad tertiam matutinam præ intolerabili totius pectoris dolore vehementer ejulavit; quamobrem renovatum Cataplaſma fuit. Ad auroram dormivit. Alvum non miſit, ſed urinam copioſam, ac jumentoſam.

6. *Mart.* Calor 101. grad. Nec fortis dicendus eſt, nec debilis pulſus, parum celer ſubinde. Idem de ejus æqualitate. Porro hæc omnia a reſpiratione nunc anheloſiore, nunc liberiore, gubernabantur: hæc enim, ut pluries jam notatum, anheloſior per intervalla reddita celeriorem longe, ac rhytmo, temporeque, inæqualem pulſum reddebant.

Dolor ad præcordia manet. Clysma cum multo *Oleo lini* injectum est, ut si in transversa, sæpe altiore, coli intestini sede doloris causa hæreret, mitigaretur. Moratum quidem diu est in Intestino Oleum, dolorem vero non oblinivit. Sæpe hodie semiclausis oculis dormivit. Lecto exempta non est, nisi quo tempore is reficeretur. Bis copiosam urinam valde turbidam misit, tardius olentem.

Lucida facilioris respirationis intervalla rariora hodie, pergitque ad præcordia dolor, auctus vespere sic, ut cor inde premi sibi, velli, lacerarique vociferaretur. Cum vero & magnus pulsus esset, & plenus, & celerrimus, calor quoque toto corpore æqualis, venam lævi brachii tutudi, uncias quinque eduxi sanguinis, rapide fluentis, crassoque corio mox tecti; missurus copiosiorem, si non

mite-

mitescere dolor. Cum nihil ille cederet, alias quinque uncias, bihorio elapso, emisi. Hic cruor pellem sibi non adscivit. Principio minor pulsuum celeritas, cito autem celeritas eadem, quæ prius; dolorque idem præcordiorum; ita ut omnia repudiaret, alimentum, potum, medicinam. Calor 102. gr.

De causa olidi urinarum fœtoris solliciti, multa volvimus. Non potuit ægra unquam sive jacens, sive sedens, ut ceteri ægri solent, mingere; sed lecto exemta duntaxat, insidensque excipulo diu. Quamvis excipula purissima admoverentur, an ligno tamen non imbiberetur stercoreus fœtor, isque lotium inficeret dubii, excipulum plane novum supposuimus, & lotium obtinuimus haud ultra fœtidum. Unde videtur lignum fœtore impregnatum urinam infecisse.

ſe. Fatendum tamen eſt, etſi in novum excipulum excepta oluiſſet, necdum ſe natura ſua vere imbutam fuiſſe probaſſet, cum diu excipulo inſidenti ægræ, urinamque urgenti, facile quid fœcale ex ano exprimi potuiſſet, quod oculus in turbida urina ægre percepiſſet.

Nocte per intervalla dormivit. Inter ſomnos placidior, indolentiorque, multa omnino ſive admonita, ſive ultronea, ſumſit, ac bibit. Aquam Avenæ cnm melle facilius admittunt fauces, quam ſerum lactis tamarind. Hauſit illius libras duas.

7. *Mart.* Calor 101. gr. Pulſus ac reſpiratio ut heri, dolor autem mitior. Hora 6. matutina vidi uncias tres commode deglutientem: cum vero a guttula in glottidem illapſa tuſſiret, præ dolore præcordiorum ejulantem, ac duorum minutorum ſpatio

tio celerrime reſpirantem. Tunc pacatior, duo denuo cochlearia ſumſit, nec ultra voluit. Interim decoctum Corticis intra 32. horas evacuavit.

Hora 8. matutina pulſus plenus, fortis, æqualis, minus celer; reſpiratio minus cum celeris, tum brevis, inæqualisque. Sæpius dormivit oculis probe clauſis. Iterum clyſma ſemioleoſum.

In duobus vitris oleum urinæ ſupernatat, in novum plane excipulum exceptæ. An quod inter mingendum quid injecti in anum olei una expreſſum ſit? Nihilominus a Practicis dudum didici, & plus ſimplici vice obſervavi, oleoſo clyſmate ſæpius injecto, diuque retento, in urina plus minus olei ſupernatare: at vero cum non in excipulum, ſed in vitrum mingeretur, & illi, & ego, certiores de hac re facti ſumus, cum ex Inteſtino recto admiſceri

misceri nihil tunc potuerit. Num a vasis hæmorrhoidalibus, quæ Intestino Recto, & Vesicæ communia, nonnunquam Vesicales hæmorrhoidas, seu hæmorrhoidalis per Vesicam cruoris fluorem, ducunt, resorptio hic fieret olei, & in Vesicam infusio?

Deglutitio per diem longe commodior, ut sæpius, præter medicinam jus carnis, cum purum, tum hordei cremore mistum, duoque poma cocta, sumserit. Fauces collabuntur perpetua gargarizatione, & injectione. Decoctum Corticis peruviani tanta Syrupi Rubi idei copia edulcorari, quo id fauces ferant, debet, ut ejusdem syrupi libram die assumat. Horarum 24 spatio nunc totum Decoctum evacuavit. Calor 100. gr. Breves, sed plures, somnos habuit; evigilans autem diligenter gargarizavit, & bibit. Jam lumborum conqueritur dolorem.

8.

8. *Mart.* Calor 100. gr. Fortis, æqualis, modicæ celeritatis, pulſus. Reſpiratio bona quidem, tuſſienti vero doloroſa fuit, pulſusque eodem tempore & inæqualitas aucta, & celeritas; minus tamen, quam olim, quia mitior dolor eſt. Fauces naturales. Sæpius hoc die dormivit. Adfuit aliquis appetitus. Bis urinam, & ab enemate alvum depoſuit. Pulſus veſpere paulo & celerior, & compreſſior. Tranquille decumbenti reſpiratio naturalis; moventi autem ſe, aut per alios motæ, notabiliter celerior obſervatur.

Licet fauces bonæ, ardorem colli externi vehementer conqueritur. Id ſane ab acri cataplaſmate. Ideoque eo remoto ad albam, craſſam, fiſſamque colli epidermida *Emplaſtrum de Meliloto* adpoſitum eſt. Optima hic ſuppuratio, ablato mane ac veſpere emplaſtro,

plastro, apparuit, pluribus diebus. Vespere calor 101. gr. Nox bona. Continuat *Decoctum Cort.* & *serum lactis tamarind.*

9. *Mart.* Calor 102. gr. Celeritas inconstans Pulsuum, ut & Respirationis. Dolor pectoris levis. Evacuavit alvum partim naturalem, partim pultiformem; bisque copiosam urinam, flavidiorem, turbidam, citoque fætentem, non odore stercoreo, quo ante, sed urinoso. Ex lecto sesquihoram ante meridiem fuit, post meridiem horam. Dormivit sæpius. Appetivit nutrimenta. Suppurant externæ fauces. Cataplasma hoc, & nata inde post inflammationem suppuratio, videntur explevisse id, quod *Hippocrates* innuit *Aphor. Sect. VI. N°* 47. & *Sect. VII. N°* 49. Deglutitio enim nunc bona.

10. *Mart.*

10. *Mart.* Morbi die XIV. Calor 98. gr. uno alterove gradu naturali calore ſuperior. Pulſus bonus, & Reſpiratio. Pectoris exiguus dolor. Sesquihoram ante, bihorium poſt meridiem, ex lecto fuit, bis multum, mox fœtidum, minxit. Hodie vix dormiens, hilaris animi fuit, beneque comedit. Calor veſp. 99. gr. Nocte alvum naturalem egeſſit, & dormivit quinque horis conſequenter. Eadem Medicamenta.

11. *Mart.* Calor 99. grad. mane ac veſpere. Omnes functiones in integrum pene reſtitutæ. Omne lotium turbidum mox, fœtidumque. Faucibus valentibus, paucus modo ſyrupus cum Decocto ſumitur. Nox bona.

12. *Mart.* Mane calor 98. Veſp. 99. gr. Lotium putridum. Uncias duas Aquæ lax. vomuit; calentes ſumſerat: alias duas frigidas, poſteaque

geli-

gelidæ hauſtum ſumſit; retinuit. Dejecit inde quinquies. Nox bona. Epidermis manuum pedumque desquammatur.

13. *Mart.* Omnia bene. Lotium minus cito olere ceptum. A 14 die ad 27. mox miſſum oluit: a 23. die hypoſtaſin inchoavit. A die morbi 18. ad 37. quærelæ majores, minores, laſſitudinis, nec non doloris nunc dextri, nunc lævi brachii, nunc pectoris. Desquammatio Epidermidis a die 16. in 40. perpetua, ſeu farinacea, ſeu furfurea, ſeu per lacinias. Perfecta atque conſtans ſubſequuta ſanitas eſt.

In hac Juvencula, in ejus Domino, filioque, facta desquammatione, crena, ſive ſulcus, in ſingulis manuum pedumque unguibus apparuit ad dictam unguis lunulam, transverſusque ille, nec tactu minus, quam viſu percipiendus, cum ungue creſcens,

nec

nec nisi consueti incrementi unguis tempore cum eo abscindendus. Unguis linea serrata in aciem ducta, ex cute natus, Epidermide tectus, morbi materiem excipere a cute, & epidermide, ad usque lunulam, potest: supra lunulam vero crassior, compactiorque, materiem sistit, eandem non, nisi crescentibus suis per longitudinem fibris promovet, paulatimque ad suum marginem ducit: ita ut demum hæc crena, seu sulcus, cum luxuriante unguis extremo abscindatur. Unguium deformitatem & alii cutanei morbi habent. *Celsus Libro V. Cap.* 28. „ Impetigo albida infestare quoque „ ungues solet. Et, Psora ungues „ duros, scabrosque gignit. In hisce acrior penetrantiorque materies unguis totam perreptare substantiam videtur.

§. IV. Historiam completam febris scarlatinæ dare volui, ut Medici juniores, quique eorum vicem supplere sæpe debent, Chirurgi, ejusdem malignitatem perpenderent, curamque intuerentur. Historia hæc fundamentum ponit, plura nunc de hoc morbo proferendi. Anno 1760. in Thesibus *de Febrium divisionibus* ejus definitionem dederam, divisionemque in malignam, ac benignam; nomina quibus insigniatur varia; præcipuos qui de eo scripserint Autores; unaque ejus epidemiam, quam anno 1748. & 1749. *Hagæ-Batavorum* videram: omnia autem cursim, cum Theses tantummodo essent, elaboratioris tandem operis prodromæ.

Anno 1742. Germanice de eodem scripsit *Joannes Storch Medicus Gothanus*, atque post datam 200. ægrorum Historiam, de morbi nomine egit, deque ejus

ejus natura, causis, phænomenis, & curatione: opus profecto egregium, utileque est; dignissimum, quod omnium Medicorum manibus teratur.

Anno 1762. Viennensis egregius Medicus, *Marcus Antonius Plencis*, edidit *Viennæ* varios tractatus, divisos in Tomos quatuor, quorum tertius *de Scarlatina febre* est, docte, mascule, ac vere practice conscriptus; cujus plurimum usum in hisce faciam.

Non immorabor Quæstioni ab his claris motæ Viris, fueritne hic morbus Venerandæ antiquitati notus, an recentioris modo ævi sit? Similitudo ejus cum morbillis tanta, ut etiam posteriore hoc tempore in medicorum scriptis morbus uterque confundatur; Veterum negligentia in acutis Exanthematibus tanto major, quo accuratius, justoque forsitan subtilius, exanthemata Chronica & discrimina-

rint, & exararint; ſuſpicionem noti ipſis morbi ſuggerunt. Nihilominus lectis omnibus conficere debemus ſæculo XVI. & ineunte XVII. rariorem fuiſſe, ut ex *Foreſto*, *Sennerto*, &c. liquet; finiente XVII. ſæculo & frequentiorem, & periculi rarioris extitiſſe; hoc vero ſæculo noſtro, cum frequentiorem, tum malitioſiorem in gentem humanam ſæviiſſe.

Nomina morbi varia, erronea ſæpe, ineptaque, quibus eum Medici quondam appellarunt, laudatis in Scriptoribus invenire eſt. Scarlatinæ nomine, barbaro ſatis, jam venit, a colore panni, vulgo ſic appellati, mutuato, civitateque, ut videtur, in Arte donato. Eſt febris acuta, exanthematica, rubras, eaſdemque latas, maculas proferens, organa deglutitionis non raro impetens, Epidermidis in deſquammationem abeuns, & infamis

famis præcipue periodo ſua altera, unius, alterius, tertiæ, & ultra ſeptimanæ, qua tumore corporis vario, anxietate, debilitate, hominem non raro in longe majus diſcrimen, quam in periodo priore, conjicit. Infantilis morbus appellatur, quemadmodum Variolæ: ut vero hæ, ſic & ille, haud infrequenter adoritur adultos. Meritoque febris acutæ appellatione notatur, licet plures febrire vix videantur: pari modo, quo plures Variolas, acutum ſane morbum, vix febrientes abſolvant. In ejusdem popularitate, ſi & tunc frequens Morbillus eſt, alter morbus ſæpe alterius nomine recenſetur; ut etiam apud *Mortonum*, aliosque, pro altero alter deſcribatur. Paſſim diſtinguuntur tamen, cum peculiari ſymtomatum natura prodeant, formaque macularum, potiſſimum vero altera ſua periodo.

I 3 Mor-

Morbi benignitatem, atque malignitatem, & sporadica ejusdem præsentia, & epidemica, manifestant. In benigna Scarlatina multa medicina opus non est; sola natura eam curat, adjuta paucis: præpostera medicina malignitatem sæpe homini infert, & mortem. Id quod singulis in morbis, quos exanthematicos vocant, obtinet; ut sæculo abhinc plorabat *Sydenhamus*. Hic vero morbus id peculiare habet præ ceteris id genus morbis, ut libero quidem, serenoque aëre gaudeat, aprico autem, ventisque agitato, in secundam suam periodum, alias longe rarius observabilem, crebro abeat. Neque sic ejus pravitas terminatur: frequenter enim hæc tanta est, ut in gangrænam sphacelumque, & fauces convertat, & buccas, & linguam; ossa in cariem vel dissolutionem; universum cruorem in Mephi-

phitim : quorum omnium plura exempla vidi in Epid.an. 1748. & 1749. Egregius *Morton Pyretologiæ Cap. 5.* Scarlatinam ſeptuagenariæ Matronæ febrim, in Elencho Capitis, deſcribit *motibus diriſſimis & peſtilentibus ſtipatam*; ad finem vero Capitis ipſam Peſtem appellat, repetitque dicendo „ a pe-
„ ſte, inquam, evaſit, quoniam ve-
„ nenum morbi prædicti peſtilentia-
„ lis fermenti malignitatem adæqua-
„ bat: & ſi quando Venenum iſtius-
„ modi morbilloſum (qua appellatio-
„ ne ſcarlatinam & alibi, & hic, re-
„ cenſet) criſi perfecta per cuticulam
„ propelli haud poteſt, tanquam ve-
„ nenum peſtilentiale glandulas ſpon-
„ te petit Narium, Faucium, Ingui-
„ num, easque inflammat & exulce-
„ rat, nec non Carcinomata, Bubo-
„ nes, & Parotides excitat. "

Pauca hæe ſufficiant, ut capiatur quam ob cauſam ægrorum trium hiſtoriam adeo prolixam, operoſamque adeo medicationem, tradere debuerim. Phlebotomiæ neceſſitatem, utilitatemque inſignem, tum & Antiſepticorum, atque Corticis peruviani præprimis, liberalem uſum demonſtrari oportuit.

Triſte memoratæ Epidemiæ fatum me, aliosque Practicos, hanc viam capeſſere docuerat; quandoquidem cæteroqui ſinguli, qui ad malignitatem deſcriptam provecto malo pervenerant, miſere perirent; pluresque eorum morte eriperentur, quibus, ſic affectis, hæc auxilia adhibebantur; ac tandem iisdem auxiliis tempeſtive admotis, omnes, ne in omnium peſſimum mali gradum inciderent, præſervarentur. Eſt porro notandum in morbi malitia minore unciam mediam pul-

pulveris, quotidie ſumtam, diuque continuatam, curam abſolvere; in maligniore vero pravitate ejus determinari non poſſe quantitatem, ſed vel non dandum eſſe, vel liberali manu, donec juvet. Viro meo §. II. media uncia, trium ſeptimanarum ſpatio quotidie ſumta, ſuffecit, ut incipientis malitiæ impetus obtunderetur, neve in ſtadium morbi alterum, de quo mox pluribus, incideret. In ægris vero §. I. & III. Functionum læſio ingens, ſtadiique ſecundi minæ, liberalem exegere quantitatem.

Stadium morbi alterum incurritur a commiſſis quidem in uſu ſex rerum naturalium erroribus, ſed omnium maxime a maturiore expoſitione corporis in aëra frigore, ventiſve, inimicum, idque intra unam, alteram, tertiamve, ab abſoluta periodo prima, hebdomadam. Haud vero ab his cau-

ſis duntaxat, verum etiam a relicta, ac ſubdole latente malignitate, ut morbus curatus videatur, nec tamen ſit. Cur enim toties in alterum hoc ſtadium inciderent ii, qui nullum horum errorum commiſerunt? Vide Viros laudatos *Joannem Storch pag.* 148. & *M. A. Plencis*, *pag.* 118. Et quoque Pueri, Viri, ac Juvenculæ, Hiſtoriæ, §. I. II. III. abunde docuerunt, etiam citra ejusmodi cauſas, ſtadii ſecundi principia animadverſa, nec niſi peruviano Cortice, ne adoleſcerent, præpedita fuiſſe.

Mirabitur forte quis Scarlatinam & in primo ſuo impetu, & præſertim in ſecundo, tam graphice hic deſcribi, interea dum hujus malignitatis ne umbram quidem multorum Autorum deſcriptiones habeant. Cauſa hujus diverſæ deſcriptionis multiplex eſt. *Primo.* Scarlatina tam benigna cum ſæpe ſit, ut vix mereatur morbi no-

men,

men, Medici qui non nisi talem viderunt, eam non nisi talem describere potuerunt, & tantummodo prava medicatione malignam. *Londini* sic fuisse videtur ab anno 1661. ad 1675. ita ut *Sydenhami* in manus inciderit nemo, quem non invasisset benigna levisque; nisi perverse actum cum illo esset.

Secundo. Differentes morbi descriptiones differentia Regionum peperit. Quo, verbi causa, tempore primam editionem *Institutionum Medicarum* dabat Celeberrimus Vir, dignus digni Patris, ad cineres usque mihi colendi, filius, *Joannes Oosterdyk Schacht*, eam utique Scarlatinæ naturam descripsit, quam & Medicus olim, & annis 18. *Professor Medicinæ*, benignam semper, alteroque stadio carentem, toties viderat: interea dum in *Gothano Ducatu Storchius* ingentem malitiam

litiam morbi, numeroſasque lugeret ab altero ſtadio ſtrages.

Solvitur ſic Problema ab exp. Viro *Plencis Tract. de Scarl.* §. LVI. propoſitum: „ Interim, ſcribit, ſi tem„ pora combinare licet, quibus Erud. „ Magnif. Archiater *de Haen* in ſua „ Med. Rat. (*Theſibus de Febribus*) aſ„ ſerit Scarlatinam perquam mali„ gnam 1748. (& 1749.) in *Hollan-„ dia* (*Hagæ-Batavorum*) graſſatam „ fuiſſe; mirari ſatis non valeo, quod „ *Cl. de Gorter* qui 1750., adeoque „ biennio tardius, hæc de Scarlatina „ opera (Syſtema praxeos Medicæ) „ evulgavit, nullam de prædictæ „ Scarlatinæ malignitate mentionem „ faciat." Non eſt profecto quod miretur Vir clariſſimus, ſi attendat ad locorum diſtantiam. Celeberrimus *de Gorter*, *Harderovici* in Provincia *Geldriæ*, ego *Hagæ-Batavorum* in Provincia *Hol-*

Hollandiæ, exercui Praxin. Non vidit in ſua Provincia morbum, quem ego in mea: ſi non vidit, deſcribere non potuit. Quin & in eadem Provincia ſi ſcripſiſſet, potuiſſet, niſi commercio literario aliarum urbium inſtructus fuiſſet, de ſcarlatina eadem, quæ nunc, protuliſſe; cum vicinas urbes labes non attingeret, quæ præmebat iſtam. Male enim ſcribor Provinciam totam nominaſſe, qui ſolius Metropoleos meminerim. Id interim ex ejusdem Magnifici Ruſſorum Imperatricis Archiatri *Compendio Medicinæ* conſtat, quod non ita benignam Scarlatinam ſemper crediderit, quin genitricem eandem cum Hecticæ febris, tum Convulſionum, agnoverit.

Tertio. Scarlatina a pluribus Autoribus ſic deſcripta videtur, ut hi cum Urticali pruritu, illi cum Morbillis, aut ex ignorantia, aut, ut ipſi

mo-

monent, de induſtria confuderint. Hinc his ſæpe gravis, periculoſus, non raro diuturnus, aliorumque morborum ferax, morbus audit; illis adeo benignus, ut inter morbos vix videatur recenſendus. Scarlatina utique nobis levior ac benigna appellata, non eſt plerumque adeo levis, ut minime dicas non ægrotare infantes. Ut proinde qui ne morbum quidem vocandam eſſe ſcarlatinam cenſuerunt, levius eruptionis genus pro eadem habuiſſe videantur. E contrario qui eandem pro morbillis habuerunt, eos plerumque gravem morbum Scarlatinam deprehendiſſe oportuit, cum Morbillus gravis morbus, ac Variolis ſæpe pejor, exiſtat. Vexillifer hic *Mortonus* eſt, qui ſtatuit „in Morbil„lis efflorefcentiam interſtitiis figura „diverſa, oblonga ſcilicet, quadra„ta, vel multangula præditis, va„riega-

„ riegatam esse: namque, ait, non „ una continuata inflammatione, seu „ rubedine, ut in febre Scarlatina, „ pertunditur cuticula. Quo criterio „ duntaxat hæc efflorescentia ab al- „ tera, quæ febrem scarlatinam co- „ mitatur, dignoscenda est. Quæ „ differentia, (ut initio capitis V. „ monet,) tanti non est, ut alterum „ morbum constituat, nisi pari ratio- „ ne Variolæ confluentes & distin- „ ctæ.... ceterique morbi, ex ac- „ cidenti aliquo inter se differentes, „ ubi causæ, symptomata, progno- „ stica, curativæ indicationes, atque „ methodus medendi, ab invicem „ minime distent, in diversos morbos „ dividantur.

Sufficiant hæc, ut ratio discrepantiarum intelligatur, quam in hujusce morbi definitione aut descriptione, offendimus. Sed minus recte qui cum aliis

aliis morbis eam confuderint, egiſſe, evidentiſſime Poſt *Storchium* oſtendit *Clarus Plenciſius*, cum morbilli eo altero ſtadio carentes, a Scarlatina eodem infami, toto cœlo differant. Ita ut ipſe egregius Vir *Mortonus* cogeretur Morbillis aliena ſymptomata adſcribere, | dum ab iisdem Hydropem intercutem, Hydropem cavitatum, &c. natum eſſe refert, quæ proprie ſecundi Scarlatinæ ſtadii ſymptomata ſunt.

De cura primi ſtadii ſcarlatinæ, qua compeſcatur ejusdem malignitas, deque cautela neceſſaria, ne in alterum ſtadium abeat, ſermone opus vix eſt, quod in Hiſtoria ægrorum is multus fuerit, inanisque ejus repetitio foret. Corticis peruviani ſi aliquo in morbo diuturnus eſſe debeat, largusque uſus, in hoc ſaltem debere conſtitit. Expoſitione quidem egeret Phlebotomia, bis extante Scarlatina facta, bisque nec-

necdum terminato ſquammarum caſu repetita; verum cum capite *de Febri Peſtilentiali* hæc agitanda quæſtio ſit, malim eo remittere Lectores.

De cura ſtadii ſecundi quædam hic monenda veniunt. Tumor corporis univerſi Leucophlegmaticus, major, minorve, adeo ſæpe calamitoſus eſt, ut ſerum in viſceribus variis, potiſſimumque in Pulmonibus, aut cellulofitatem involucrorum, aut cellulofitatem integrum Viſcus perreptantem penitus expleat, reſpirationem difficilem, ac fere ſuffocantem reddat, deliria, convulſiones, & interitum generet. Id dum fit, Diuretica ac Purgantia egregii ſæpe hic effectus ſunt; Sudatoria vix unquam, præ impenetrabili fere corporis hoc in caſu ſuperficie. Utriusque hujus Claſſis ea potiſſimum laudantur, quæ una antiphlogiſtica ſint. Clyſmata famulen-

tur utrisque. Peruviæ Cortex intermiſcendus eſt, iis præ ceteris præſtantiſſimus, quos alvo facit liberales. Hydropem Aſciten eo evacuatum hoc modo vidi. Non raro tamen malum omni remedio majus eſt. Decimus quisque *Storchio*, omnem lapidem ad ſervandum moventi, peribat.

Hinc, referente *Cl. Plencifio* laudatur in *Auſtria* remedium, quod Magnif. Archiatrum *Weber de Turnberg* autorem habere dicitur; cujus vires & in hoc, & in aliis, imo deſperatis in morbis, ſummæ efficaciæ eſſe deprehenſum fuit. Compoſitio hæc eſt: ℞. *Rhei electi, Spir Sal. coagulati an. dr. ji. Mercurii dulcis, Auri fulminantis, Extracti ſquillæ an. dr. j. Rob Junip. q. ſ. ut f. pil. gr. j. vel. jj. auro argentove obvolvendæ.* Lex autem aſſumendi eſt ut 1me pro ratione ætatis morbique violentia, quovis bihorio, una alterave pilula de-

deglutiatur, ſic ut ſolvatur alvus ſingulo die ter quaterque: ſin minus, ut maſſa pilularum acuetur ſive *Mechoacannæ Magiſterio*, ſive *Diagrydio ſulphurato*, ſive *Maſſa pilularum Cochiæ*. 2do Ut ſuperbibatur infuſum Diureticum *Baccarum Juniperi*, ſeu *Rad. aperientium*, ne in Ptyaliſmum incidat æger. 3tio Ut poſt trium quatuorve dierum uſum a remedio uno aut altero die abſtineat. 4to Ut paregoricis ſedetur, qui forſan a remedio excitaretur, motus, ac perturbatio. 5to Ut non detur hoc remedium in febre validiore. Ea ejus deprehenſa virtus legitur, ut intra unum, alterumve diem, ingens ſeri veſica alvoque copia eliminetur, atque ita cito concidat hydropicus tumor.

Novi quidem *Auri fulminantis* non rite parati vires noxias, dextre confecti, nullas perhiberi; ejusdemque

opinionis me quondam fuisse *Tomus XI. pag.* 138. docet. Ea tamen *Hoffmanni* sententia non erat, Viri utique in Chemicis haud minus, quam in Practicis, magni. „ Arctissimus enim „ salium, inquit *Obs. Chem. libr.* 3. in „ Magisteriis & præcipitatis, nexus „ est, quod videmus in *Auro fulminante*, Calce lunari per spiritum „ salis facta; ita ut aquæ affusio ægerrime ea edulcoret: quare etiam a „ residuis salinis, intra eorum poros „ particulis, ipsorum medicinalis efficacia promanat." Curatio certe felix a claro *Plencisio* relata, tum & quæ sequuntur ibidem, mutare opinionem jubent. Addit enim ille illustrem Archiatrum *Weberum* ejusmodi remedii efficaciam aliis multis, iisque pertinacissimis in morbis, expertum esse, in *Ileo*, & *Ischuria* scilicet, modo socia inflammatione carerent; tum

&

& in *Suffocante Catarrho*, inque *humido Asthmate* fere enecante. Nequeo memorabilem, quæ ibidem narratur, præterire historiam. Libera Baronissa, ut vocant, *de Kleng*, ex humido Asthmate orthopnoeica, nec ad decumbendum, respirandum, fandumque apta, mortis in limine jam sita credebatur, quandoquidem a celebratissimis Artis nostræ internis externisque præsidiis nihil tulisset opis: tandem *Weberi* consilio pulvis datus, quem *Auri fulminantis gr. VIII. Mercurii dulcis gr. III· sacchari gr. XII.* componebant, horamque postea alter, alvo soluta, ingens levamen attulit; continuatus autem, sed rarior, salutem integram reddidit, ut Autor idem, qui illi diu noctuque adstitit, oculatus testis refert. *Vid. Tract. III. de Scarlat. a pag.* 125. *ad* 127.

CAPUT VIII.

De Miliaribus, & Petechiis.

Causa exponitur cur hoc genus morborum hic prætereatur.

Toties de morbis istis quid censeri debeat, quid expertus ipse sim, quemque locum in Schola Medica obtineant, prioribus diversi tituli Tractatibus, aperui; ut profecto repetendis iisdem, acta agere viderer. Eoque magis, quod gravissimis nostra in Arte Viris nunc visum sit, id in se negotii suscipere; ut, quæ protuli quondam ego, quæ ursi toties, quæ recentioribus observatis, exemplisque probavi, sua experientia propria confirment. Ita ut hujus belli dirimendi curam aliis committere tuto possim. Quæ vero nova

va obſervaverim, quæ meam de hiſce roborare ſententiam queant, malo hæc in Caput ſequens *de Febribus vere malignis* reſervare, eoquod eo propius pertinere, majoremque dicendis autoritatem conciliare, videantur.

CAPUT IX.

De Febribus malignis.

§. I. *Maligna hujus anni febris in causa eſt, quod de ea agatur. Ejus Natura deſcribitur, & ſæpe exanthematica eſt.* §. II. *Hiſtoria prima Febris Petechialis. Cura antiphlogiſtica, in aëre libero, petechiæ in febris cruditate diſparent.* §. III. *Hiſtoria altera febris, cujus Petechiæ ut prioris, antiphlogiſticis in cruditate diſparuerunt.* §. IV. *Hiſtoriæ aliquot priorum ſimiles. Quæſtio famoſa diſcutitur, An morbi acuti dividendi in eos ſint, qui a condenſatis, & in*

 illos,

illos, qui a dissolutis humoribus, gignantur? Responsio prima quæritur ab autoritate; quæ hic deesse reperitur: Secunda quæritur ab experientia; quæ illi neutiquam favet. Hac occasione examen instituitur sanguinis: quo in benigno, æque atque in maligno morbo, rite perspecto, evidens fit, nihil ad propositam Opinionem firmandam ex eo confici posse. Rationes enarrantur cur difficillimum reddatur sanguinis examen. Animadversio de Aquis cum potabilibus, tum medicatis. Et hæ, & Alimentorum diversitas, tam in corpore, quam extra illud, variare humores nostros, admistæ cum illis, possunt, debentque. Tandem experimenta capta in morbis benignis & malignis, in sanguine ægrorum, fallacem hanc Opinionem, & damnosam esse, arguunt.

§. I.

Febris malignæ, eo jam sæpius exposito malignitatis sensu, ejusdemque epidemicæ, triste sane exemplum nobis

bis hic annus 1771. dedit; quæ *Aprili* menſe orſa, ac bonam *Veris Æſtatisque* partem emenſa, *Autumnoque* cedere viſa, hac hyeme permolli in multos denuo, popellum potiſſimum, ſæviit. Haud enim hic mihi mens eſt, de illis malignis febribus agere, quas dira fames in vicinia genuit, ſymptomatibus longe aliis, popularitatis durabilitate, hominumque plurimorum cæde, infames: has quippe iis deſcribundas relinquo, qui easdem propius contemplati, & animo humanitatis, Religionisque pleno, medicati ſunt. Unde de iis ſolummodò febribus ſermo erit, quas intra mœnia, ſuburbiaque ſua *Vienna* vidit, luxitque.

Morbus unicus erat, ſed varius invadendi modus: ita ut multum hi, parum illi; hi alterno die, vagis alii temporibus, febrire viderentur: ut iterum alii ſigna gravioris inflamma-

tionis ſive faucium, ſive laterum, ſive pulmonis, ventrisve, præ ſe ferrent, alii vero minime; ut præterea plures mox oppreſſi violentia morbi, decumbere cogerentur, non pauci autem ad res agendas quidem debiliores, non multum tamen lecto inhærerent: ut denique plures in lectum a morbi principio proſtrati, die tertio, aut quarto, aut quinto, aut ſeriore, Petechiis, Miliaribusve, ſeu albis, ſeu rubris, ſeu commiſtis ſcaterent, ac brevi perirent; alii autem decimum duodecimum, quartum decimum diem attingentes, in delirium mite, dein in delirium ferox, ac furibundum, inciderent, & aut convulſi perirent, aut non niſi poſt ſummos reſtituerentur labores. Major, minorve debilitas, paucioribus exceptis, ſtupor ac hebetudo capitis, pleroſque omnes a principio ad finem usque, concomitabatur.

batu. Intercurrerunt haud pauci, quibus validæ Inflammationis ſive capitis, ſive laterum, ſive pulmonis, ſigna adeſſe viderentur citra vel minima in his, citra multa in illis, febris in pulſu indicia; quos nihilominus methodus inflammatoria primum, cortex peruvianus deinde datus, periculo eripuerunt. Ipſa porro natura febris, ut malignarum compluriun eſſe conſuevit, erat *Continuæ remittentis.*

Cum multis eo tempore Medicis de hoc morbo conferens, intellexi tam in Urbe, Suburbiisque, quam in proximioribus Pagis, vim quampluri- mam hominum Petechiis atque Convulſionibus perire; vel quod ægri ſuapte ſponte, vel Mulierculararum, Balneatorum, imo & quorundam Medicorum, conſilio, in lecto, in calido nec renovato aëre, ponderoſoque ſtragulo-

gulorum onere, suffocarentur; quodque *Peruviæ Corticis* vel nulla, vel parcior, vel serior saltem, datio foret.

Cum ineunte *Majo* consuetum meum Prædium suburbanum repetivissem, occasiones captavi adeundi cum Medicis pauperes eorum ægros, & ipsemet *Hortulani mei uxoris*, recentissime ægrotantis, curam in me suscepi. Edoctus ergo ipsa experientia factæ mihi a pluribus Medicis relationis veritatem, quam primum curavi ex Nosocomio *SS. TRIN.* tres ejusmodi ægros in Nosocomium meum practicum, publicæ demonstrationis causa, deferri.

§. II. Primus Sutor erat 24. ann., qui Variolas & Morbillos infans passus, valetudine perpetua, eaque integerrima, usus erat. Sex autem septimanis, antequam eum hæc febris invaderet, male sibi esse sentiens, venam prima vice vitæ curaverat sibi tun-

tundi. Vena ſecta in febrim quotidianam incidit, principio brevi a meridie, paulatim ſerius invadentem, & in Noſocomio *Fratrum miſericordiæ* poſt 12. acceſſum profligatam. Ex illo Noſocomio ante tres abhinc ſeptimanas egreſſus, laſſitudinemque, atque mediocrem admodum appetitum expertus, ad laborem, dura neceſſitate coactus, rediit.

Die 19. *Maji.* creſcente laſſitudine, eique nunc Cephalalgia, Pectoris oppreſſione, proſtrato penitus appetitu; ſiti, nauſea, rariore alvo, vigilia, adjunctis, languidos tamen artus co egit ad laborem; donec 25. Maji a Magiſtro demitteretur.

26. *Maji.* Poſt multos inanes vomendi conatus, demum vomens amara, adiit Noſ. *SS. TRIN.* e quo mox ad nos geſtatorio allatus eſt. Suſcepimus itaque eum morbi die *octavo* cepto,

pto, celeres admodum habentem pulsus, subduros, plenosque, oppressum pectore, difficilius respirantem, capite hebetem dolentemque, sitientem, quovis appetitu carentem, artus dedolatum, tandem Petechiis per omnes artus, inque pectore, maculatum. Nihil interni, nihil externi auxilii, admotum ipsi fuerat. Pavidus homo, mortem formidans toto tempore, summam exhibuit nobis morbi cruditatem.

Ea de causa mox vena ipsi in brachio secta fuit, *Decoctum Avenæ cum Melle & Nitro* in potum datum, Decoctumque aliud paratum ex *Rad. Gram. Tarax. c toto a unc. jii. Hora coq. c aq. p. Libris. colatis IV. adde Rob. samb. Oxymell. simpl. a unc. ji. Nitri puri dr. ji.* cujus uncias duas singula hora sumsit. Suris Vesicantia admovebantur, Pedibus Epispastica, & Clysma immissum est.

eſt. Inde capite ac pectore melior, bihorio veſpere obdormivit, nocte autem plus quinque horis. Calor veſpere 102. gr. fuit. Os amarum conqueſtus eſt.

27. *Maji.* Poſt quartam horam matutinam Colico dolore valido, Teneſmoque, laboranti, immiſſum Clyſma eſt, ex *Decocto emoll.* & bona *Olei Lini* portione, compoſitum. Prodeunte alvo, partim liquida, partim coacta, & teneſmus ſiluit, & colica. Levis aderat a Veſicante ſtranguria. Non liber pulſus, neque admodum celer. Reſpiratio levius læſa. Hoc mane dormiens digitis ludebat perpetuo. Calor 102. gr. Urinæ heſternæ, nocturnæque, copioſæ, colore ferme naturales, ſed omnes, quarta excepta, absque contentis.

Pulſus, atque Convulſionis principium, morbo exiſtente crudo, venæ ſe-

ſectionem ſuadebant, mittebanturque unciæ ſanguinis decem, cruſta, dum quieviſſet, carentis, bonique. Ter alvus liquida, colore fuſca.. Petechiæ plurima evanuere parte. *Corticis Peruviani Decocti, ſuique aperientis prioris*, uncias duas alternatim ſingulis horis hodie cepit ſumere, & diu proſequutus eſt. Et ante Corticis uſum, & ſub eodem, oris amaritudinem conqueſtus eſt perpetuo. Sitis mediocris. Vix læſa reſpiratio. Calor veſpere idem, qui mane. Nox bona.

28. *Maji.* Calor mane ac veſpere idem hodie, qui heri. Celerior quidem, ſed liberior pulſus. Reſpiratio bona. Petechiarum ne umbra quidem ſupereſt. Alvus compacta una, duæ pultiformes. Urinæ colore naturales, cum enæoremate ſuſpenſo. Capitis rediit dolor, pectoris oppreſſio, difficiliorque reſpiratio: quamobrem ſin-

ſingulo *Decocti aperientis* vaſculo cochleare *oxymell. ſquill.* additum fuit. Cum vero ad 5. pomeridianam reſpiratio difficillima redderetur, licet cocta jam alvus eſſet, & Peruvianus Cortex daretur, diemque jam ageret morbus decimum, imminens vitæ periculum Phlebotomiam indicabat; qua unciis quinque ſanguinis detractis, mox ingens rerum apparuit in meliores mutatio. Jamque appetere cepit, & poma cocta grate comedit. Nox bona.

29. *Maji.* Calor mane ac veſpere 101. grad. Celerior, ſed bonus pulſus, bonaque reſpiratio. Pure Veſicantia madent. Appetitus. Urinæ heſternarum ſimiles. Et ſic auctæ vires, ut ſederit horam ex lecto. Per diem modice celer pulſus, bonusque. Nox bona.

30. *Maji.* Calor mane ac veſpere idem, qui heri. Moderate celer pul-

ſus, ſubdurus, æqualis. Bona cum libero pectore reſpiratio. Ab enemate alvus pauca, colore fuſca. Ex lecto bis hora fuit. Urinæ quales dierum priorum. Lingua ut ſemper, leviter albida, non ſicca. Terrifica ſomnia, ex Melancholia viri, mortisque continuo metu nata, dulces turbarunt, quibus eousque gaviſus erat, noctes.

31. *Maji*. Calor mane ac veſpere 100 gr. Celer ac ſubdurus pulſus. Liberum cum naturali reſpiratione pectus. Lingua ſubalbida, ſubſicca. Sitire ſe quamvis neget, bibit, ultra decocta ſua, menſuras duas Aquæ Avenæ. Bis ante meridiem alvum reddidit fuſcam, pultiformem, paucam tamen; poſt meridiem quinquies ſimili materie corpus lectumque conſpurcavit, inſcius, ut ait, bisque in excipulum: non quod id petiviſſet, ſed quod id ſuppoſi-

poſitum ſibi eſſet. Minus ex lecto potuit ſedere, laſſior, perpetuoque comatoſus. Mite per diem delirium, veſpere frequentius: unde cum totum hoc minime criticum in die 13., ſed mere ſymtomaticum, appareret, Veſicans impoſitum Nuchæ fuit. *Uncia ſyrup. Diacodii* parum nocte dormivit, deliravit.

1. *Junii.* Calor mane ac veſpere gradu unico, quam heri, major. Pulſus ac reſpiratio propemodum naturales. Urina intenſior colore fit, cum ſuſpenſo enæoremate. Levis tendinum ſubſultus. Semel nocte, ſemel mane, alvus liquida miſſa in excipulum fuit, nonies autem poſt meridiem in lectum: nonies dico, nam toties mutata linteamina fuerunt, quæ ſuppoſita clunibus, ad primum perceptum foetorem renovantur, ne

in putrida athmosphæra diu hæreant ægri, neve excorientur.

Nuchæ, atque surarum Vesicantia optime operantur. Comate vero, interpositoque delirio, incrementa capienta capientibus, alia duo internis sunt admota femoribus. Et ob nimiam symptomaticam alvum decocto aperienti suffecta *Emulsio* est, cujus *Libris duabus syrupi Diacodii*, & *Pap. Rhoeados*, *a uncia* addebatur. Frequens quidem die somnus, sed brevis. Quare nocte alia *uncia syr. Diacod.* emulsioni addebatur, somnus autem nihilo melior. Parum ex lecto fuit.

2. *Junii.* Mane ac vespere calor, ut heri. Pulsus paulo celerior, subdurus, æqualis. Respiratio bona. Coma. Frequentior tendinum subsultus. Urina tarde turbari cepta hodie est. Minus delirus fuit, plus dormivit. Unicam in excipulum reddidit, non pravam,

vam, alvum. Ab hora tertia pomeridiana nihil ultra deglutiit, quodque ori infundebatur, elabi ſivit. Nec audire ultra, neque videre prorſum videbatur. Pauloque poſt conſpurcavit, ac comminxit ſeſe. Interea temporis cum pulſus, tum reſpiratio, propemodum naturales fuere. Injecto Clyſmate alvus flava prodiit, ac pultiformis. Sub noctem denuo nonnihil gula transmiſit. Veſicantia optime. Poſt unciam *ſyrupi Diacodii* bona nox. Hæc omnia contigere morbi 15. die, nunquam critico.

3. *Junii.* Calor mane ut binis prioribus diebus. Pulſus bonus, Reſpiratio bona, coma leve, apta reſponſio, nonnulla tuſſis. Neque conſpurcavit ſe hodie, neque comminxit ſe. Alvus flava pultiformis. Urinæ fuſcæ, tarde turbatæ, manent jumentoſæ. Deglutitio bona. Veſpere calor 100 gr.

Continuat Corticis Decoctum & Emulſum.

4. *Junii.* Morbi 17. Calor mane ac veſpere 99. grad. Pulſus præter celeritatem modicam naturalis. Reſpiratio bona. Fuſcæ urinæ cum ſuſpenſo enæoremate. Tuſſis cum ſputis paucis, coctis. Appetitus. Fere horam ex lecto. Bis nocte alvus pultem referens. Nox bona. Sputa ergo alvusque critica.

5. *Junii.* Calor mane ac veſpere ut heri: Pulſus, reſpiratio, ſputa cocta, urina cruda, ſeſſio extra lectum ut heri. Poſt meridiem ſomnolentior, pulſuque concitatiore fuit. Veſicantia ſuppurant. Alvus critica. Nox bona.

6. *Junii.* Calor mane 99. gr. Pulſus ſubdurus, celerior heſterno. Reſpiratio bona. Tuſſis, copioſioraque ſputa, bene cocta. Urina cruda. Appetitus. Minor ſomnolentia. Vires

res valentiores, ut quater per horam voluerit in ſede morari. Calor 100 gr. Nox bona.

7. *Junii.* Morbi 20. dies. Calor 98 gr. Pulſus & Reſpiratio fere naturales. Virium incrementum obſervatur quotidie. Alvus ut diebus præcedentibus, ita hodie diebusque ſequentibus, vere critica. Urinæ vero perpetuam quandam cruditatem enæorematum ſuſpenſione referunt. Decoctum Corticis Peruviani conſtanter eadem quantitate ſumſit ad 24. diem morbi, inde ad 27. diem mediam partem; a 27. ad 35. quartam. Acrior nonnunquam tuſſis medicamenta quæ involverent, ſæpe petiit. Sputa haud copioſa quidem, ſed prodiere tamen bona, & quotidiana. Alterno die, tertiove, poſtquam judicari morbus viſus fuiſſet, Aqua laxativa *Viennenſi* purgatus fuit, eo die corticem veſpe-

re tantummodo ſumens. A die 24. morbi quotidie exivit oratum in templum, ambulatumque. Veſicantia a die morbi 8. ad 24. continuo pure manarunt, Certi de curatione eum 36. die dimiſimus.

§. III. Sutor 30. annorum, qui anno ætatis ſeptimo utroque infantum morbo, varioloſo ac morbilloſo, defunctus erat; qui 24. annum agens, gravem longamque Dyſenteriam paſſus; Cephalæa multum obnoxius, ab anni circiter elapſo ſpatio in Tertianam febrem lapſus eſt, cujus tertio paroxyſmo defunctus, emeticum ſumſit, poſteaque ter; mox ante ingruentem paroxyſmum pulverem ſibi ignotum deglutiit, unde a febre liber, ſanus vixerat, donec elapſis abhinc tribus ſeptimanis, itinere pedeſtri, diætæque errore, tuſſim contraxerit, pectorisque oppreſſionem.

Die

Die 9. Junii. Ad 8. horam matutinam adorta eum est, ipso in Templo, febris, consuetis, quæ in priore enarravi, symptomatibus: ὀρθοστάδης tamen, ut eodem, & quinque subsequentibus diebus, opus suum sutorium, ægre quamvis, molesteque, exercuerit, morbique tædium semel iterumque Vini haustu abigere annisus sit: quinto vero die cum morbum auctum, pectus angustius, prodeuntesque in corpore Petechias perciperet, vino abstinuit, lecto decubuit, & præter puram frigidamque aquam ad restinguendam sitim; tantillumque juris carnium, nihil omnino sumsit. Morbi tandem cepto 8vo die, Nosocomium *SS. TR.* pedes petiit, unde ad nos sella gestatoria delatus est.

Febris pleuroperipneumonicæ symptomata, unaque Petechias, iis, quas prior æger habebat, rubicundiores,

res, deprehendimus. Crudum die 8. morbum, cum celeri ac duro pulsu, respirationeque in latus dextrum cubanti impossibili, larga Venæ sectione aggressi sumus; sexque elapsis horis iterato. Vesicantia cruribus admovimus, pedibusque Epispastica. *Decoctum graminis &c.* ut proxime priori, & misturam, cui *Oxymel. squilliticum*, *ac stibium diaphoreticum non ablutum* inerant, & ad latus dolens cataplasma, præscripsimus. Quibus omnibus effectum id, ut ad noctem singula symptomata mitescerent, minusque ruberent Petechiæ. Calor 101 gr. Noctem Vesicantia turbarunt.

17. *Junii.* Calor 102. gr. Pulsus præter celeritatem bonus. Respiratio libera, in utrumque latus decumbenti facilis, liberum expeditumque pectus, & indolens caput. Appetitus renascitur. Petechiæ fere evanuerunt,

pe-

pectore excepto. Os amarum est, lingua subalbida, levis in deglutiendo labor, urinæ colore quidem naturales, sed aut sine contentis, aut cum iisdem suspensis. Ter pauca pultiformis alvus. Bis ex lecto per horam sedit. Continuat hesterna remedia, ob tussis autem siccitatem, molestiamque, lambit sæpe eclegma obvolvens. Calor vespere 101. gr. Nocte dormivit trihorio.

18. *Junii.* Calor 102. gr. Mane se habuit ut heri, post meridiem pejus faucium dolore, tussi acriore, sputisque tenuibus, & spumosis. Mane tamen & sero horam extra lectum transegit. Calor vespere 101. gr. Paucus nocte somnus.

19. *Junii.* Cum eodem calore 101 gr. pulsum celeriorem æger habuit, vagosque horrores conqueri, etiam bene in lecto tectus, cepit. Horrores

res laudabiles dies criticus, morbi quippe undecimus, ſæpe habet; ſed tales urina, ſputaque cruda, ſperabiles non faciebant. Eratque jam genius morbi popularis notus nobis. Unde alternis horis ipſi Decoctum mox deſcriptum, ac præterea ſaturatum Decoctum *Cort. peruviani* datum eſt, linctusque frequens. Ad noctem ſurditas. Calor hodie ter deprehenſus eſt 101 gr. Pars prima noctis bona.

20. *Junii.* Calor 100 gr. Frequens pulſus eſt, æqualis, non durus, non debilis. Reſpiratio bona. Sputa tenuia. Multusque adeſt præ gutturis dolore ſcreatus. Δύσκωφος, βαρυκέφαλος hoc die duodecimo, nunquam critico, inter multas crudas urinas una hypoſtatica eſt. Prodiit alvus bis cocta, ſemel liquida. Sitis, ac multa potatio. Διαπνοή. Veſicantia ſuppurant.

rant. Veſpere caret dolore faucium fere omni, gargariſmo uſus *Aquæ hordei & oxymellis*, & perpetuo *ſyrupi Violarum* linctu. Veſpere minus tenuia ſputa ſunt, tardiorque matutino pulſus. Vix die, vix nocte, dormivit.

21. *Junii.* Calor 100 gr. Omnia ut heri in pulſu, & reſpiratione. Alvus quater critica, ſemel liquidior. Urinæ jam ſanorum ſimiles. Laſſitudo. Sesquihoram ex lecto ante meridiem fuit, itidemque poſt meridiem. Propter vigilias *Emulſio* hodie in potum data, & *uncia ſyrupi Diacodii* ad noctem. Die ſesquihoram dormivit, & noctem fere totam.

22. *Junii.* Calor 100. gr. Eſt morbi 14. Hodie urina unica hypoſtatica, & quater pultem referens alvus. Cortex excrementa quidem tingere ſolet, ſed a longo tempore non habuimus hominem, cui adeo tincta prodierint,

ut

ut fere ſanguinem colore referrent. Vix febris hodie, vix tuſſis. Reſpiratio bona admodum. Calor 99. gr. Nox bona.

23. *Junii.* Omnia eodem modo. Calor 99. gr.

24. *Junii.* Ab alvo per *tres uncias Aquæ* lax. mota, nihil non melius. Calor 99. gr. Ab *uncia ſyr. Diacodii* bona nox.

25. *Junii.* Calor 98. gr. Omnia bene. Reſtitutus etiam auditus eſt. Tota die ex lecto eſt. Semel adhuc 19. morbi die purgatus, Corticis conſuetam doſin continuavit usque in 22. morbi diem, ab eo vero die parcius. Sanus omnino domum rediit die 24.

§. IV. Alios ægros in Noſocomio habuimus hujus epidemiæ plus minus participes, quorum cura priorum ſimilis fuit, ſucceſſitque. Unde eorundem recenſione non morabor Lectores.

res. Horum tamen neminem maculatum Petechiis vidimus: quandoquidem homines iisdem, antequam a nobis recipiuntur, non picti, nunquam sibi easdem apud nos consciscunt. Unde neque a longis retro annis has, æque parum, quam Miliaria, demonstrare, cursumque illarum ostendere, potui.

Ex singulorum Aegrorum Historia confirmatur solutio cujusdam Quæstionis, quam sufficienter, pluriesque, me dedisse multi arbitrabuntur; & quæ nihilominus, cum in multorum animis alte irradicata sit contraria opinio, paucis his repetenda est.

Clarorum Virorum ea de Acutis Morbis sententia est, ut dividendi absolute sint in eos, aut quos genuit, aut ad quos accessit humorum spissitudo, & in illos, qui liquidorum dissolutionem sive genetricem habent, sive sociam.

Ad

Ad Classem priorum referunt topicas Inflammationes, ardentes, inflammatoriasque febres; iis porro curam, quam appellitare antiphlogisticam solent, admovendam esse censent. Ad posteriorem vero speciem eos referendos esse arbitrantur, qui Malignarum suo ipsorum sensu vocatarum, qui exanthematicarum, qui nervosarum febrium, nomine veniunt in postremis hisce Antiphogisticam Methodum evacuando, attenuando, perniciosam esse, quandoquidem præ & humorum tenuitate penuriaque, & solidorum, universæque animalis Oeconomiæ debilitate, robur solidis conciliandum sit, humorum massæ spissitudo, & vis vitæ tota animanda.

Ut de integro hanc opinionem enervem, oportet primum Præceptorum nostrorum, tum priscorum, tum nuperorum, sententiam examinare; me-

methodumque medendi. 2do Experimenta consulere, quæ sola definire quidquam, quæ sola sancire poterunt leges agendi. 3^tio^ Ad damna animum convertere, quæ ex præjudicata opinione Medicina fert.

Ab *Hippocrate* exorsi, non reperimus eum hanc admittere divisionem morborum. *Libri Epidemiorum*, nec non ii *De morbis quatuor*, deque *Affectionibus*, hinc morbis inflammatoriis, illinc malignis, scatent, in utrisque autem methodum antiphlogisticam laudant. Non enim hic argumenta juvant, quæ hic peti solent de Vino, deque calidioribus præsidiis Artis, quibus optimus ille Medicinæ Parens in Acutorum cura nonnunquam usus esse videtur. Ea enim aut fractis post Crisin viribus concedebat, aut corporibus per evacuationes symptomaticas exhaustis, aut diluta sic (*quemadmo-*

dum Tomo XII. a pag. 193. *ad* 201. *ostendi*,) ut diluant humores potius, ſolidaque molliant, quam ut aut illos condenſent, aut hæc roborent. *Sylvius de le Boe*, poſt medium ſæculi elapſi, calidioris in Acutis Medicinæ Autor, Scholam *Leidenſem* ſeduxerat, doctrinaque ſua, & ſcriptis, etiam poſt mortem, in eadem dominabatur; ſic ut ea doctrina imbueretur in annis academicis ſuis *Hermannus Boerhaave*; at vero ille erroneam hanc doctrinam ipſo praxeos expertus exercitio, & diurno nocturnoque *Hippocratis* ſtudio, meliora edoctus, Medicinæ priſcæ ſplendorem reſtituit, *Sylvianos* diſpulit errores, atque practicos ſuos confecit *Aphoriſmos*, in quibus ſi quid veri nuperior opinio de febribus hiſce malignis nervoſisque haberet, huic ſaltem diſtinctioni febrium locum concedere debuiſſet, ut quibusnam in febri-

bribus damnanda *Sylvii* doctrina esset, & in quibusnam laudanda, ostenderet. At vero ille nihil horum. Neque Viri immortalis Commentator illustrissimus *L. B. van Swieten*, in cura febrium, hujus commentitiæ distinctionis vel hilum meminit, nisi eo sensu, quo ejus meminisse *Hippocratem* mox intelleximus. Ut profecto mirari subeat, quod quædam præclara gens medica, cujus pars magna *Boerhaavii* ab ore pependerat, famosam hanc febrium divisionem adoptaverit, utilissimasque suas ceterum lucubrationes eadem obfuscaverit. *Sydenhamum* suum attendant, calidiora in Acutis remedia, sæculo ab hinc elapso tam acriter oppugnantem, quam 60. abhinc elapsis annis *Boerhaavius* fecerat: *Sydenhamum*, ajo, febrium cognoscendarum, curandarumque fama ita clarum, ut perhibente Archiatro Pon-

 tifi-

tificio *Baglivo*, MEDICUS FEBRIUM apud exteras Nationes audiret. Ingens utique Medicus ille, Medicinam ad priſtinam ſimplicitatem revocaturus, ſi ejusmodi diſtinctionem in febrium natura neceſſariam deprehendiſſet, deeſſe haud potuiſſet, quin quibusnam in febribus calidior Methodus conſervanda eſſet, & quibusnam demenda, determinaſſet. At vero tantum abeſt, ut ſimile quid aut deprehenderit, aut docuerit, ut ſuam potius in medendo felicitatem hujus diſtinctionis neglectui debere videatur, non alias exiſtere nervoſas febres ratus, niſi quas *Hippocratica Schola*, quasque præclaro ſuo nervoſi ſyſtematis ſtudio, ipſe detexerat.

Quapropter SECUNDO, anquiri oportet num experimenta, de ſanguine febricitantium capta, novæ hujus diſtinctionis fuudamenta jecerint: quæ

ſi

ſi jecerint, admittenda omnino erit; ſin vero minus, abjicienda.

Hiſtoria ſanguinis humani intricatiſſima, ingenium exercuit nobilium Virorum *Boilei*, *Leeuwenhoekii*, *Ruiſchii*, *Guillielmini*, *Freindii*, *Papii*, *Schwenckii*, *Halleri*, plurimumque Chemicorum. Chemia, ſiquidem in furnis ſuis, perque ſuas & admiſtiones, & ſeparationes, naturam humorum invertat, principiaque prorſum alia, quibus noſtri forſan carent humores, ex iisdem creare videatur, audienda hac in parte nobis non eſt; naturæ humorum, prout in vaſis noſtris circumaguntur, proximove ſaltem illi in ſtatu, unice curioſis. Hunc in finem ſanguis, ſerum, lympha, eo nobis modo examinanda ſunt, quo de Vena tunſa, de Arteria aperta, de ſauciis in vulnere vaſis, de cameris & loculamentis, in quibus effuſa col-

lectaque hæc liquida fuerint, aut ſponte, aut arte, apertis prodire ſoleant.

Experimenta hujus generis longe plura, quam forte quisquam laudatorum Virorum, cepi. In *primo Tomo Rat. Med.* curſim ea cum publico communicavi, quæ in 150. hominum ſanguine confeceram. Tomo tertio plura depromſi. Veritus autem ut, quod in Phyſicis heu nimis! ejusdem experimenti idem ſemper ſequeretur effectus, triennio poſtmodum, iterumque elapſis poſtmodum annis octo, partim eadem, partim longe plura, inſtitui; mirabundus autem obſtupeſcensque tandem vidi, licet multorum idem ſequeretur effectus, tamen plura repeti, quæ iisdem legibus, ordine, cautela, iterata, tantam ſæpe varietatem, tantam contrarietatem, tantum phænomenorum aut defectum, aut augmentum exhiberent, ut demum apud animum ſtatue-

ſtatuerim, me multo facilius quid vitales noſtri humores non ſint, quam quid ſint, determinare poſſe; ut præterea inde conficere debuerim proprietates ignotas, &, ut arbitror nunquam naturæ de ſinu eruendas, humorum in corpore circumlatorum qualitates eſſe, quæ efficiant, ut experimentorum tam diſpar crebro effectus ſit: ut TERTIO concluſerim Athmoſphæræ naturam, quo tempore humores humani corporis in vaſa excipiuntur, gravitate & levitate, humiditate ac ſiccitate, frigore atque calore, peregrinarum demum exhalationum nunc nulla, nunc parciore, nunc liberaliore admiſtione, ſæpius poſſe ac debere enarratorum experimentorum miram gignere portentoſamque varietatem. Ut QUARTO conſtet per hæc omnia Evaporationem auræ, quæ quo patentiore in vaſe exceptus

ſanguis fuit, eo copioſior eſt; quæque in vaſis ejusdem capacitatis tanta inconſtantia eſt, ut a libra ſanguinis in his decimam, in illis duodecimam, in aliis decimam quartam, & majorem totius liquidi partem æquet; quæ tandem in *eadem Venæ ſectione* in ejusdem diametri vaſis, ad eandem altitudinem expletis, copia differt: quemadmodum iteratiſſimis exemplis, menſura & bilance exactiſſimis, didici. UT QUINTO id adhuc addere debeam, liquores, quibus laticis noſtri vitalis naturam exploramus, Aquam, Lac, Spiritus ſive ſimplices, ſive particulis Regni dicti animalis, foſſilis, ac vegetabilis, imprægnatos; ſuccos expreſſos Vegetabilium, Inſectorum, aliorumve animalium; ſalium quorumcumque lixivia; novitate ac vetuſtate, ſaturitate & vacuitate, accuratiore negligentioreve ſeu confe-

ctione,

ctione, seu conservatione, sic differre posse, ut experimenta eadem, alio atque alio tempore, differant immensum, & contraria clament.

In hac sententia me numerosa experimenta, alium in finem capta, confirmarunt. Potabiles aquas varias diversorum locorum, fontiumque, exploravi multoties; Nosocomii civici, R.R. P.P. Capucinorum, Celsissimi Principis de Schwarzenberg, R.R. PP. Benedictinorum, quos *Scotos* vocant; Aquam Palatiorum, Oratorum, Legatorumque multorum; Variorum fontium Pagi amœnissimi *Hideldorff*, in quo olim æstatem transegi; aquam montis Austriaci altissimi, quem ob æternas nives *den Schneeberg* vocant, cujusque aquam Aula, Civitatisque Primores, afferri sibi in potum curant; Aquam *Favorianam*, alias *favorinam*, *piperinamve* appellatam, quæ nobis

Fabaria, territorio Monasterii *Benedictini ordinis*, adfertur; Aquam *Nocerianam*, quæ *Nocera*, urbe Ducatus *Spoleti*, in *statu Ecclesiastico* siti, in varias *Europæ* regiones transvehitur, &c. Has, inquam, aquas per varios annos exploravi, cum *Oleo tartari per deliquium*, cum *Tinctura Lunæ*, cum *Mercurii sublimati in spiritu nitri solutione*, cum *solutione Plumbi*, *sive in Aceto*, *sive in Acido spiritus nitri facta*: at vero incredibile est, quanta experimentorum alio anno, alio anni tempore, petitorum, diligenterque quo instituebantur temporis momento, conscriptorum, discrepantia daretur. Quin ipse *Scheuzerus* fontem *fabariensem* ipsa in origine ejusmodi tincturis & solutionibus tentans, nullam quidem deprehendit aut præcipitationem, aut mutationem *saltem non ilico: diu enim commorari in Antro horrido, simul & squallido, non licuit.* (*Itin. alp.*

se-

ſecundo pag. 85. *& ſeq.*) Verum poſtea narrat *J. F. Vicarium haſce aquas uno tempore præcipitabiles, alio non item*, deprehendiſſe. (*Hydrophylac. pag.* 87.) Ego duplo puriorem, impurioremve, alio atque alio tempore eandem deprehendi, ut & reliquas aquas omnes, ne exceptis quidem *Nocerianis*, vel *Schneebergianis*. * Quid quod ne ipſæ quidem deſtillatæ officinarum Aquæ vim experimentorum noſtrorum, ſinceritatis defectu, conſtanter ſuſtinuerunt? Re-

* *Aqua Schneebergica* ceterum optimarum aquarum eſt, & ſe patitur in longinquiora deferri illibatam. Anno 1760. cum *Parmæ* eſſem, Aquæ *Nocerianæ* copia parabatur, qua qua in itinere, *Parma Viennam* ſuſcipiendo, uteretur *Regia Infans*: reſpondente me, eum in finem nobis *Schneebergianam* adeſſe, Parmenſis Archiater *Ponticelli*, Vir doctrina & pietate clarus, & ceteri Medici aulici, hanc experimentis tentarunt, decreveruntque *Noceriana* aqua opus non eſſe, quibus *Schneebergica* adeſſet, ut quæ puritate ad illam quam proxime accederet. In meis experimentis nonnunquam puritate inter ſeſe certare ambæ

Regeret quis forsitan mihi Mercatorum, Chemistarum, Pharmacopæorum astutia, & fraude, complures Spiritus & Aquas adulteratas vendi; nec non ipsas fontium aquas seu majore aut siccitate, aut humiditate tempestatis, seu etiam transvectione, sæpe mutari; hincque non raro fallere experimenta debere, quæ iisdem rebus sinceris, illibatisque, forsan non fallerent. Neque repugno ego: sed non minore jure inde videor conficere posse, dum ad explorandam humorum nostrorum naturam has ipsas res fraudibus, infortuniisve nec detectis, nec detegendis, adhibemus, in-

visæ sunt, nonnunquam nostra superabat sinceritate Italicam. Inter communes Urbis aquas ea Palatii *Celſ. Princ. de Schwarzenberg* inter minus impuras esse mea tentamina iterata docuerunt. Fontis *R.R. P.P. Capucinorum & Nosocomii Civici*, Schwanzenburgiano contermini, puritate illi multum cedunt.

incertum variumque frequenter esse oportere experimentorum eventum.

An denique ipsæ hæ potæ ab homine aquæ, variæ, oppositæque naturæ alimenta, ac potulenta, quibus ante morbum usi sunt ægri; an varia virtus chylopoietica, & hæmatopoietica viscerum, diversitatem humorum incredibilem sæpe exhibere non debeat? Cur in sanis, qui tempore Majali ex mera consuetudine feriri sibi venam curent, tam diversa contrariaque sæpe natura cruoris?

Quid ergo de eo experimento censendum est, quod in morbis inflammatoriis, & calidis, evincere dicitur sanguinem & copiosum esse, & spissum, & denso, inflammationis lardo passim tectum? In morbis febrilibus nervosis autem, inque vocatis ita malignis, parciorem copia esse cruorem, sæpe deficientem, tenuem præterea, ac dissolutum?

Hoc

Hoc porro non poteſt niſi miſſo de vena cruore cognoſci. Cupidus harum rerum, in mea 37. annorum praxeos exercitio, inque Academicis 18. annorum demonſtrationibus, nihil unquam incertius deprehendi, nihil aut mutabilius, aut fallacius. Centies viderunt mei Auditores ſanguinem malignis in morbis ſpiſſum, ingentique corio tectum: ita quidem ut in febre cum pulſu debilitatem ſimulante, cum urina ſive naturali, ſive fœtida, cum extantibus aut Petechiis, aut Scarlatina peſſima, aut Morbillis, Variolisque pravi moris, ſanguinem conſpexerint vel cruſta tectum ingenti, vel in rubra parte vix cultro perſcindendum, vel etiam omnibus bonum notis; idque adhuc pauciſſimis ante mortem horis: & e contrario in Acutis inflammatoriis, in quibus rubram partem denſum corium ſæpius con-

contegit, haud raro tamen aut compactum ſanguinem ſine cruſta conſpexerunt, aut æque in craſſamine, quam in tegmine, diſſolutum; aut maſſam rubram, vix formantem inſulam; longe autem adhuc crebrius in priore vaſe concretum, in altero ſolutum, in tertio cruſta alba vix ſciſſili tectum, in quarto ſolutum; idque iterum mutato in alia phlebotome ſingulorum ordine; absque nulla regula aut diſſoluti ſanguinis, aut compacti, aut inflammati, ad primum ultimumve jactus impetum, aut ad jactus celeritatem, tarditatemve, ad majorem minoremve aperturam, ſeu lumen, ut vocant, ſed inverſo ſæpe ordine, tempore, modoque.

Rogabit forſan quis: ſi per omnem morbum decies pluriesque miſſus cruor, & craſſus perpetuo, & inflammata pelle tectus eſſet; & ex adverſo, ſi

si in alius morbi decursu toto sanguis etiam pluries effluens, vix cohæreret, crustaque careret; nunquid erraret is, qui in posterioris corpore dissolutos, in prioris spissos autumaret, inflammatosque esse humores? An ad hanc sententiam internæ Medicinæ externæque præsidia illi admovens, non recta incederet, tutoque mederetur?

Respondeo 1mo a caussis quinque paulo altius pag. 182. expositis, patuit non exhibere solere, imo ne exhibere quidem posse sanguinem vase exceptum sive similes, sive omnes, quas pleno in corporis rivo habet, dotes ac proprietates. In vivis animalibus experimentum urgens, vidi protinus mutari aperto corde, majorive arteria, sanguinem, ab exhalatione subtilioris auræ, ab aëris admistione, ab heterogeneis in aëre volitantibus, ab athmo-

ſphæræ frigore, a vaſorum convulſione.

Reſp. 2do in multis admodum ægris uno die ſanguinem prodire diſſolutum, alio die concretum, adeoque eum, qui juxta oppoſitiſſimam hanc ſanguinis conditionem indicationem formaret, oportere alio, atque alio die, medendi methodo, e diametro oppoſita, aggredi morbum: & quia hæc alternatio intra unum, imo intra medium diem obſervatur, ut multis nobis exemplis conſtitit, oportere bis ter in die pugnantia dari.

Reſp. 3^{tio} Argumenti vanitatem ex eo potiſſimum apparere, quod adverſæ omnino ſanguinis dotes *in eadem phlebotomia* diverſis in vaſis exhibeantur ſæpe nobis. Unde ſiquid valeret hæc opinio, neceſſe foret adverſæ naturæ remedia ægris mixtim præbere, ut una & compingerent cruorem, & diſſolverent.

Reſp. 4to In febribus putridiſſimis, in quarum his Miliaria, illis Petechiæ, aliis iterum Variolæ prodierant, ſanguinem nobis olim frequenter viſum eſſe aut condenſatum duntaxat, aut & craſſo corio tectum: idque æque in paucioribus, qui tandem obirent, atque in illis, quibus rediret poſtmodum ſalus.

Sic ſponte devolvimur ad tertiam conſiderationem de damno, quod hæc opinio inferat in ægrotantes. Theoria nos hic juvat, deinde Praxis, ſeu potius rerum eventus. Theoretice enim facile capimus, ſi ſanguis evacuandus ſit, nec evacuetur; ſi attenuandi diluendique humores ſint, & e contrario denſentur; ſi qui moderandus fuiſſet, nunc incitetur motus; oportere ut multi, alias ſervandi, infortunato pereant, neque eorum ſerventur alii, niſi iis pares, quos *Hip-*

po-

pocrates invenerat naturæ esse adeo valentis, ut morbum pravum non modo superent, sed etiam prave medicantem. Practice autem rem contemplati, volentes nolentesque fateamur oportet a morbis malignis, hoc principio tractatis, plurimos ceterum servandos, diem obiisse, ipsamque hujus testem Pestem esse; cujus asserti veritatem superiore anno, in *altera XIV. Tomi parte*, petitis ab autoritate argumentis, invicte, ni fallor, demonstravi, pluribusque sequenti Capite demonstrabo: ad quod porro ordine rerum nunc ducimur.

CAPUT X.

De Febre Pestilentiali.

§. I. *Rejicitur divisio in Pestem, & Febrem Pestilentialem, quod & inutilis sit, &*

 super-

superflua, & simul damnosa. §. II. *Necessitas hisce temporibus hanc materiem repetendi, tum quod apud alios ignis, facile communicabilis, ardeat; tum quod consuetus pestem tractandi modus appareat defectuosus in multis esse.* §. III. *Morbi maligni quid contagiosi habentes, licet ceteris pestis signis necdum sociati, si ea cautela tractarentur, qua ipsa Pestis, nunquam hæc, sub illorum larva, popularetur civitatem. Animadversio ampla in* Lazareta, *seu Nosodochia publica, quod eo, quo instrui modo solent, contagia, mortesque, vehementer augeant. Lex divina consulitur super contagio.* §. IV. *Consilium, quo sisti, præcaverive contagium posset, si multos homines epidemica febris invasisset, quorum cohabitatio, mutuæque Athmosphæræ communicatio, aut facere contagium, aut multiplicare posset. Sententia in* Lazaretorum *laudem refutatur, ex pathetica eorundem descriptione, a veracibus Autoribus petita.* §. V. *Si admitti tamen debere illa quis censeret, oporteret talem eorundem cum constructionem, tum*

dire-

directionem esse, ut ægris curandis, non lædendis; contagio minuendo, non augendo; conducerent. Modus quo id sperabile fieret, proponitur. Hic modus Ærarii profusionem primo contuitu facere visus, vere Oeconomicus mox ita adparet, ut omnium maxime Fisco consulat. Præcipue autem in Peste, maximeque in his Nosodochiis, Antiphlogistica Methodus, largaque non minus, quam frequens, Missio sanguinis necessaria est. Discussio hac occasione fit de vera, *ac* simulata, *Acutorum debilitate. Laus* Cottenii, & Trilleri. *Larga, ac repetita Venæ sectio, in debilitate Pestis ostenditur inevitabilis necessitatis esse, ex* Platero, Sydenhamo, Riverio, Botallo *&c. Fortis objectio contra hanc doctrinam. Responsio ad eandem invicte demonstrat, ex bene intellectis cum Antiquissimorum, tum subsequentis cujusque ævi Scriptorum, monumentis, Missionem sanguinis & profusam, & repetitam, in Pestis debilitate laudatam summopere, perpetuoque fuisse; nec Scholarum opinionem de non, aut vix non,*

facienda Venæ ſectione, niſi ex male intellecta Veterum, Recentiorumque ſententia, originem duxiſſe. Recenſio Peſtis Smyrnenſis *ſententiam noſtram confirmans.*

§. I

Peſtem *Tomo proxime priore* ex potiore parte Bibliothecæ Medicæ deſcripſi; paſſim difficilem cognitu ſuo in exordio eſſe, ex illa oſtendi, ejusque in cura multa, eaque præcipua, deſiderari; deſiderata hæc ſuppleri poſſe, curamque vulgari certiorem tutioremque dari, ab antiquiſſimis temporibus, in noſtros dies usque, autoritate irrefragabili, atque indubitatis expermentis demonſtraſſe me arbitror. In Autorum numeroſorum ſententiis referendis conſtitit, Peſtilentialem febrim diſtingui ab ipſa Peſte a multis, ab aliis vero utramque confundi. Negare nequeo eorum plauſibilia argumenta eſſe, qui diſtinguen-

guendas has a ſe mutuo eſſe cenſuerint. In Peſte quippe nulla febris ſigna haud raro adverti, idque aut per totum morbi decurſum, aut per notabile ejus ſpatium: quæ ergo & citra febrim oriri, progredique, & cum febre ingruere, atque perſeverare poſſit, unam eandemque rem non videri: adeoque cum peſtis adſit utrisque, & non febris; alteram *peſtis*, alteram *febris peſtilentialis* nomine, eſſe appellandam.

At vero diſtinctionem hanc & inutilem eſſe, & damnoſam, graviſſimis Medicis viſum fuit. Sapientibus quippe inutilem, imo detrimentoſam ſemper haberi *entium*, citra neceſſitatem, multiplicationem, eoquod memoriam absque neceſſitate oneret, artem turbet, ſemelque admiſſa in cauſa ſit, ut alios morbos complures æque noxie, quam inutiliter, a ſe mutuo

ſejungere debeamus. Variolæ quippe, Morbilli, Scarlatina, quemadmodum valida febre frequentius ſocientur, ſic haud raro vel exilem, vel nullam omnino, comitem febrem habent. Igiturne Variolas ob eandem cauſam in *Febrim Varioloſam*, & in *Variolas*, non *Sydenhami*, ſed horum Scriptorum ſenſu, diſpeſci oportet? Inducet certe nos in tædioſas Vocabulorum multiplicationes. Sed cum ipſa hæc diviſio toties in cauſa fuerit, ut vera Peſtis longe lateque popularetur, antequam munitionibus ſepiretur, quemadmodum præteriti anni diſſertatione tot exemplis oſtendi, videtur famoſa hæc diſtinctio rejicienda eſſe. Quapropter de *Febre peſtilentiali* acturus, una de *Peſte* agam. Id autem quo debito modo præſtem, ἀνακεφαλάιωσιν præmittam obſervationum quarundam, quas mihi morbi centies a me

tra-

tractati ſuggeſſerunt: has ad Morbum peſtilentem, quem non ego, ſed alii, frequentem viderunt, & a quibus ejus deſcriptionem mutuatus ſum, accommodabo.

§. II. Profecto tempora calamitoſa, quæ impendunt cervicibus noſtris, eo me adigunt, ut id omne, quod ad Peſtis cognitionem, curationemque, facere vel minimum poſſit, aperte proponam. Haud ita pridem *Ruſſiæ Metropolis*, dira lue horrende infecta, *Borealibus* populis hanc minabatur, hique iterum, commercii cauſa, univerſæ *Europæ*. Adventans hyems ſuppreſſiſſe vim ejus videtur; ſed mitior cum ibidem, æque quam hic, hyems fuerit, eandem extinxiſſe nondum credi poteſt; neque id *Petropoli* credi, ſeveræ ad eandem arcendam leges innuunt. Commercium fatale *Ruſſorum* cum *Thracibus*, peſtilentioſa annuatim gente, ca-

ptarum eorundem Arcium, Urbiumque, præſidiaria mora, aliæque occaſiones, quas inevitabiles triſte hoc bellum reddit, Peſti profecto metum augent. Ut eam a nobis averruncet DEUS, vota humillima omnium diu noctuque illius aures circumſonant; at vero hinc ejus judicia, *quæ abyſſus multa*, ignorantes, illinc infectionis facilitatem agnoſcentes, an noſtram, qualiscumque demum ſit, induſtriam, an omnem animi ſollicitudinem, an improbum quemcumque laborem, graviori atque urgentiori negotio admovere unquam poterimus? Ubicumque morbus ſævit, ſternit mortalium ingentem vim, populatur urbes, populoſasque Regiones in mendicitatem ſolitudinemque, convertit. Quod vero maxime formidandum, ignota ſubit, ignota ſævit, nec ſæpe cognoſcitur, niſi depopulata civitatem. Annon *Polo-*

narum

narum atque *Russicarum* Civitatum hinc vastitas nata, metusque interitus? Et an periculum in alios minus impendit, qui ficta malignos inter, pestilentialesque morbos distinctione, indigne de morbi natura altercantur, atque aut ignorantia, aut astutia, aut Magnatum verecundia, lucrive amore, pestem negantes, maligni morbi vocabulo turpiter abutuntur, donec vastificum malum diruerit urbem? Ingensque infectorum strages, quos inveterato præjudicio innixa Methodus medendi, uti neque Patrum nostrorum memoria, ita neque postremis hisce temporibus, servare a morte potuit, an nos non adigit, non compellit, non urget, ut quam (me id anno proxime priore ostendente) *Hippocrates* tradidit, quam *Galenus* & *Oribasius* laudarunt, quam Mediolanensium *Septalius*, Gallorum *Botallus* & *Rive-*

Riverius, in cœlum extulerunt, Anglorumque *Sydenhamus*, suis cum numerosis, tum fortunatis experimentis confirmavit; ut, inquam, hanc tam certam, tamque tutam esse probemus, ut complexis eam Medicis, Lues brevius parciusque vastet? Igitur quos DEI caritas, quos Patriæ amor, quos proximum, se, suosque servandi, studium, explet, his volupe fore arbitror, si, quæ de Peste nuper disserueram, paulo enucleatius, quibusdam saltem in articulis, tradidero.

§. III. Versabatur igitur prior in eo sermo, quod Pestis definitio, ejusque proinde cognitio, talis non esset hucusque tradita, ut quandiu rarior adhuc est, inchoansque duntaxat, Pestisne, an Malignus morbus esset, certo definiretur. Constabatque hanc ambiguitatem in causa esse, ut Medici variis de causis mitiorem sententiam

am-

amplexi, eam præsentem, nisi bonam urbis partem prius populata sit, fateantur: qui tamen si ad illam, dubiosam in principio, averruncandam, omnem animi sollicitudinem adhibuissent, hanc non doluissent vastitiem. Hæc paucis elucidare confert, ne dubia in re periclitemur quidquam.

Ac *primo* quidem, si omni ex parte constiterit serius, ocyusve, cuncta Animalia mori, quæ in aëre aut non renovato, aut propriis exspiratis inquinato, diutius detinentur, quemadmodum per experimenta *Sgravesandi*, *Musschenbroeckii*, *Boerhaavii*, *Boilei*, *Halesii*, aliorumque, *Tomo XIII. Cap. I.* evici; si ex iisdem experimentis, nec non ex similibus in homine demonstratis, observatum sit, quemcunque morbum acutum facilius, tutiusque, in aëre libero, quam in eodem aut coacto, aut immutato, aut

im-

impuris aliorum ægrorum exhalationibus infecto, curari; si nota res sit Malignum morbum acutum, vix contagiosum, talem nihilominus reddi in descripta Athmosphæra, eoque magis, quo plures una decumbant; si denique evictum fuerit Malignorum morborum cum malitiam, tum infectionem, quæ non minus assistentibus, quam ægrotantibus, damnosa, certissime, tutissimeque, per aëra liberum renovatumque, aut minui notabiliter, aut penitus sisti; consequitur necessario inde id, ut oborta de ambiguo morbo quæstione, Pestisne, an Malignus morbus sit, is eodem modo tractari debeat, quo morbos, natura malignos, malignitatem, atque inficiendi vim deponere, per superiora nostra constitit.

Secundo. Dubia de morbi natura, litesque de eadem natæ, desinent detrimen-

trimentosæ Reipublicæ esse, si Medici ejus, quo de dixi, convicti, Malignum morbum sic tractent, ac si Pestem, si adesset, tractaturi fuissent.

Tertio. Si in morbo acuto maligno, unaque plus minus contagioso, commercium noceret mercium, hominumque; neque interea propter deficientes Bubones, Anthraces, aliave signa, Pestis veræ caracteribus morbus innotesceret; commercium hoc arte ea, qua in nota Peste, suspendendum esset.

Quarto. Sed hic ad ea attendendum est, quæ *N° primo* dicta sunt. Febres acutas, minime malignas, aër non renovatus, aër plurium ægrorum similium exhalatione infectus, vere malignas reddit: Febres acutas malignas ex parum contagiosis in valde contagiosas mutat: Contagiosus morbus in ejusmodi Athmosphæra conta-

gium

gium multiplicat ſic, ut, etſi vera Peſtis vocandus non ſit; haud multis tamen paraſangis diſtet ab ea: ipſa denique ſive agnita cunctis, ſive pluribus negata, vera tamen Peſtis, contagium incredibiliter auget, per obſervata *Tomi XIV. cap. IV. pag.* 313. & *ſeq.*

Hinc ſive in Peſte, ſive in quocunque alio maligno morbo, nocentius nihil aut ægris, aut Reipublicæ erit, ejusmodi ægrorum ſive intra proprios Lares, ſive in dictis barbare *Lazaretis*, incluſione. Et quidem *ægris*; quia eorum quisque cum propria, tum una decumbentium, athmoſphæra inquinatus, ſi non moriatur, ſummo ſaltem exponitur vitæ diſcrimini: *Reipublicæ* vero; quia harum ædium aër multiplicato miaſmate inquinatur ſic, ut qui hos miſeros neceſſario convenire; ſaltem eminus,

de-

debent, Medici, Chirurgi, Pharmacopæi, Sacerdotes, Altores, confertiſſimum contagium hauriant, veſtibusque colligant, & vel ipſi hinc infecti moriantur, quemadmodum in variarum Peſtium hiſtoria Medicorum, Confeſſariorum &c. exempla crebro monſtrarunt; vel ſua contagione quotquot convenerint ædes, hominesque, inficiant, univerſamque tandem contaminent urbem.

Num Lex divina facem hic nobis non præbet? Leproſos, ob idque contagioſos, profecto non in ædibus ſive privatis, ſive communibus, ne ab aliis ſerperet in alios lues, concludi, verum *extra Caſtra Summus* LEGISLATOR, phyſicarum cauſarum omnium Cognitor perfectiſſimus, ſolusque Autor, relegavit: Sacerdotibus autem in mandatis dedit Leproſorum ut ædes mundarent, mundabiles ſi forent,

ſin minus, diruerent. *Libr. Lev. cap.* 13. Nec autumet quis hoc ad tempus duntaxat ſic a DEO inſtitutum fuiſſe, quandoquidem communes excipiundis Leproſis ædes conſtruere, mutabilis quadraginta annorum Caſtrametatio vetuerat; nam hanc opinionem Leproſi Evangelici ſubvertunt, BENIGNISSIMUM NOSTRUM SERVATOREM itinerantem miſericordiam precati.

§. IV. Argumentum hoc, dicet forte quis, videtur ſuadere, ur contagioſi omnes ſuis de ædibus in prata, ſuburbanosque locos, pellantur, & ibidem aut moriantur ſi non ſaneſcant, aut morentur, donec reconvaluerint.

Id equidem inde ſequi minime cenſeo, ſed hoc duntaxat: ſi infectorum hominum ſive privatis, ſive publicis in ædibus, incluſio Contagio præpediendo conforet, illam a DEO præcipien-

piendam suo populo fuisse: quod autem jusserit contrarium, signum esse videri ejus, quod inde in sanam plebem incidisset, detrimenti.

Quid ergo consilii hic? Suppeditat hoc Variolarum naturalium, insitarumque, tractatio. Variolosos quondam in propria sua Athmosphæra fere suffocabant tum Plebs, tum omnis Medicorum turba: athmosphæra cum Ædium, tum Conclavis, & Lecti, mutata, perpetuoque renovata, Variolosorum plerosque Medici servant. Acutorum morborum, malignorumque historia usum emolumentumque aëris sereni, aliorumque exhalatione non inquinati, docuit manifesto. Contagium hac libertate multiplicari qui censet, is minime advertit quam facile in spatiosam auram tantillum contagium, ne eo accedentibus periculum inferat, evanescat: quamque ex

adverſo periculum creſcat a condenſata collecti copioſi miaſmatis mole.

Quid igitur ſi una domo plures morbo cubant eodem? Januæ feneſtræque, ut *Tomo XIII. Cap. I.* exempla docuere, prudenter apertæ, quo aër liber ædibus admitti recens, fugarique vetus poſſit; Lecti, quoad ejus fieri poſſit, remotiores; ægrorumque per diverſa cubicula, ſi adſint, diſtributio, potenter labefactabunt contagium. Si enim quid majoris contagionis a pluribus, quam ab unico ægrotante, verendum eſt; utique ejus minus verebimur, quando ne colligatur, condenſeturque, præcautum fuerit.

Quid tandem aucto contagio faciendum, dum 10000. 20000. hominum contagioſo morbo afficiuntur? An ſaltem tunc conduci illos in *Lazareta* non oportet; cum in plebeculæ

tugu-

tuguriis nequeant multi locari, nisi eo, quem toties damnavi, modo, in unum coacti? Si enim *Lazareta* non prostarent, plebs egena, peregrinaque, strata in plateis inveniretur, multaque periret, eo quod temporis lapsu in Diversoria, Hospitibus, eorumque famulis paulatim extinctis, susci-pi, ali, curarique non possent. Civium etiam haud pauci defectu alimenti, ac corporis, animique auxilii, misere perirent, extinctis his, qui hæc subministrarent.

Ad hoc ut respondeatur, *Lazaretorum* conditio, & modus, examinentur oportet. Publica sunt, vastaque admodum ædificia, in quibus centena plura, milliaque ægrotantium, una locantur, plurimum illis famulitium adest, gensque præterea haud pauca Ecclesiastica, Medica, Chirurgica, Pharmaceutica. Quantæcumque

que amplitudinis hæc ædificia sunt, numerosioribus intrusis quotidie ægris, arctiora demum inveniuntur, quam ut commode locent omnes: unde eos arctius jungi oportet, recentesque ægros admitti ultra non licet, nisi in quantum mors truculenta evacuet dietim aut Lectos, aut Lectorum penuria straminum acervos.

Quicumque hæc serio reputat secum, an non athmosphæram horrebit, millenorum pestiferorum coagmentato veneno gravidam? annon a præjudicata opinione de aëris, apud Pestilentiosos ventilati, damnis, intolerabilem? annon recens illatos rapidissima vehementia venenantem? eosque qui novos ægros, ut in *Lazaretum* suscipiantur, vel eminus ad sola vestibula conduxerunt, vehementer temerantem, ac toxico inficientem? Mirabiturne idem, dum, quod pror-

prorſum inevitabile eſt, horum ædificiorum januæ panduntur, coacervatumque miaſma cum minus infecto aëre communicatur, & in vicinia augeri, & tota in urbe peſtem? Civesque in id deputatos, ut per intima eorum penetralia viſitent, & num debita ordinataque rerum adminiſtratio ſit, examinent, venenari, totamque incendere civitatem contagio? Cumulusne calamitatum non adeſt, dum ad univerſi famulitii interitum, quod in *una* peſte *pluries* contigiſſe conſtat, cadavera pluribus diebus inhumata jacent, ſicque incredibiliter contagium augent aëris, ædium, hominumque? Quis demum mirabitur ultra horum Noſodochiorum Necrologia? Quis terroris panici incuſabit gnaram horum plebem, quod pejus inferno has ædes horreat? Et quis ob id non videt urbis peſtilitatem augeri

debere, ubi infima plebs, Civium ſcilicet pars maxima, ipſique minoris ordinis Cives, hæc *Noſodochia* veriti, ſuffocent primordia morbi, quærelam ſupprimant omnem, donec opportuni auxilii neglectu demum ægrotent inſanabiliter? Quid ſi, Senatu jubente, quiſcumque civium peſtis ſuſpicione laborat, confeſtim a cara conjuge, proleque beata, violente ſejungitur, & in hæc Receptacula lethi, ſuos nunquam reviſurus, conjicitur? Profecto ſi inter omnia, quæ hanc publicam calamitatem exaſperare ſolent, *Loimologici* nihil nocentius tœdio ac mœrore uno omnes ore meminerunt, ſpem vix ullam de eorundem ſalute in venenatis his latibulis concipiemus. Quod ſi ea animi ſententia iis eſt, qui huic miſerandæ plebi miniſtrant, a Baccho præcipuam præſervationem Peſtis eſſe petendam, quemadmodum

dum eam multorum ſententiam fuiſſe, hosque vino aſſiduo maduiſſe, multiplex ſane in hiſtoria peſtilenti teſtimonium eſt, facile quisque per ſe perſpicit quanta ab his miniſtris ſufferre debeat illa pæne deſperata multitudo; quot errores in commutandis auxiliis, ita ut quod alteri dandum fuiſſet, detur alteri; iniquam ejusdem doſin; Medicamenti, Alimentique præbendi negligentia; vultum horum torvum, illorum comicum; ineptas reprehenſiones; aſperas objurgationes; mutuas altercationes; diras imprecationes; & quæ hiſce pejora Vinum parit.

Qui Loimographos perlegit, *Muratorium*, *Hecquetum*, *Sorbaitium*, aliosque complures, nihil me hic exaggeraſſe, nihil protuliſſe a vero alienum, ſed quod res eſt, candide notaſſe, ultro fatebitur. Oportebat autem

hæc ex iisdem ſemel proferre in apricum, ut commoda & incommoda rerum ex æquo cuique paterent.

§. V. Jam multos mihi videre videor, qui ſerio me rogent num hiſce Noſodochiis tempore peſtis Rempublicam carere poſſe autumem? Et, An non ea abſoluta horum neceſſitas ex tota Hiſtoria pateat, ut Senatores, ut Medici, ut Cives ipſi, nihil acerbius, quam eorum raritatem, lamentarentur? Nonne *Viennenſis Senatus*, cum *Facultate Medica*, anno 1679. omnem lapidem movit, ut præter Noſodochium conſuetum, in *Via Regia* (*Landſtraſſe*) alterum; in loco quem *Laimgruben* vocant, tertium; quartum ad *S. Udalricum*, conſtruerentur? Profecto egena plebs medicinæ, victusque inopia, ſuis in tuguriis peribit, eo quod demum deficere ſoleant hi, qui medeantur, qui alant. Cadavera

ra non inhumata putredine indelebili aëra inficient, ubi lue adulta, omnis deficiet pollinctura. Verbo, Nosodochio agminatim excipiente pestiferos, horum in urbe raritas pestem minuit, occasionem sanos inficiendi tollit, aërisque revocat serenitatem: sin secus, increbescit Pestilentiosorum multitudo sic, ut vix, qui maneant intacti, invenias, ut trahat lues moras, neque hyemi quidem, quod alias sæpe solet, cedere noscat.

Hæc ipsa incommoda & commoda Nosodochiorum, qua late patent, candide utrinque prolata, aliquam responsionem ad quæstionem, difficulter solvendam, suppeditabunt.

Ac *primo* quidem, quæ horum emolumenta sint; evicimus dudum & minora, paucioraque jactatis existere, & pestis efficere incredibile augmentum. Cui bono milleni dispersi per

ur-

urbem, ex ea in Noſodochium pellentur, ſi aërem venenatiorem reddant inibi acervales? Quid profuerit illis, ne omnium penuria rerum pereant in urbe, ea in loca intruſos fuiſſe, in quibus horrendo incolarum afflatu multo tetrius afficiantur? In quibus major multitudo locatur, quam ut debita ſingulorum cura ſit? In quibus toties & auxiliariæ manus inopia, & inclementia, crudelitate, inſolentia, importunitate, ebrietateque Miniſtrorum, numeroſi intereunt? Quid boni a gentis peſtiferæ expulſione augurabere civitati, ſi expulſorum agmina in Noſodochio Athmoſphæram longe venenatiorem parent Civitati? Et ſi qua Diariis, atque Necrologiis fides, an Civium frequentiæ conſervandæ augendæque favebunt longe numeroſiores perpetuo mortes in his Noſodochiis, quam extra eadem?

Quod

Quod vero Peſtem coarctare ac breviare hæc loca ferantur, deficientibus, quæ id probent exemplis, gratis aſſeritur. Nunquid *Thraces* minus nobis, adventante hyeme, ſeneſcentem Peſtem vident? ſtata plerumque lege eam, ſive Noſodochia populus habeat, ſive non habeat, æſtas parit, ver fugat. Hoc ipſo anno 1771. *Smyrnam* depopulata Peſtis eſt, citraque Noſodochiorum opem ceſſit Autumno. * *Turcarum* Negligentia, in numerandis mortuis ſuis, ea nos occaſione privat, ut, pluresne an pauciores mortes ii absque cautelis, quam nos cum noſtris, numerare ſoleant? quæ *Chriſtiani* apud illos notarunt, arguunt ſe in ſuo Noſocomio ordinatiſſimo plures mortuos a Peſte habuiſſe, quam domeſticatim *Turcæ*. Vide *Algerinum* exemplum *Rat. Med. Tom. XIV. pag.* 317. Se-

* Cæteræ quidem nationes ibi Noſoc. habent, non vero Turcæ, qui longe maxima civium pars ſunt.

Secundo. Hisce eum in modum considerátis, non videtur Nosodochiorum constructio ea Reipublicæ commoda præbere, quæ vulgo creduntur; quin eidem potius detrimentum afferre.

Tertio. Si a me quæritur an non eum in modum & construi illa, & instrui possent, ut omnino conducerent? Annuo; sed ea lege, ut 1mo construerentur spatiosa, ampla, altarum contignationum, multarumque late patentium fenestrarum & januarum; ut Ventus vi plena ædes lustrare totas, serenumque inspirare aëra possit. Ut 2do hæc sic constructa Nosodochia numerosissimo ægro non scaterent, ne singulorum singulis venena nocerent. Unde 3^{tio} ædificanda id genus plura forent, quibus excipi, curarique multi, citra mutuum nocumentum, possent; qua quoque sententia senatus, facultasque

me-

medica *Viennensis*, anno 1679. fuerunt. Ut 4to singulis his ædificiis sufficientes cum Medici, tum Chirurgi, præficiantur, idoneumque famulitium. *

5to

* Haud paucos esse auguror, qui ab Ærario publico plus peti, quam præstare aut posset, aut saltem vellet, autument. Perperam sane illi. Computatione inita constabit longe minus Ærario publico pluribus, quam paucioribus Nosodochiis, iisdemque bene, quam male administratis, detractum iri. Si enim id constiterit, quod infinita vis hominum in unico excepta perierit; si id experientia evicerit, quod in quovis morbo contagioso ægri in Nosodochiis eo numerosiores intereant, quo una jacuerint confertiores; ipsaque pestilentia congesta contagione virulentior reddatur; Si tandem sagaciorum Medicorum metus fuerit, ne ejusmodi compacti Nosodochii evaporans aër eum Civitatis redderet venenatiorem; Sponte patet omnem eam copiosam pecuniam, quam in construenda tot ædificia profusurus Senatus civitatis, aut Princeps ipse, foret, in ærarium necessario, salvo plurimo cive, redundaturam: Salvo quippe eo plurimo, Mercatura, Artes, Agricultura, Fisci scaturigines, brevi reflorent: ubi ex adverso, quemadmodum id nos omnium temporum Historia docet, tellus penuria hominum inculta jacet, annonæ caritas sequitur, commercium, studia, artesque languent, Fisco non modo nihil redit, sed in sublevandam pauperis plebis egestatem, is emulgendus est.

5to At vere nihil hæc omnia proderunt, nisi sive in urbe, sive in ejusmodi potissimum Nosodochiis, alia methodus instituatur pestiferis medendi, quam instituta hucusque fuerit. Cunctarum multis a sæculis Regionum Medicis, atque Chirurgis, ea animi stetit, statque hucusque senten-

tia,

Hac occasione incidit mihi in manus Opusculum, quod de febre epid. Senensi anni 1766. & 67. scripsit *Octavius Nerucci*, in *Senensi Lyceo* Medicinæ Professor, ubi de hujusce febris, dudum fatiscentis, reditu egerat „Novum hoc morbi incremen-„tum, ait, maxime se prodiit in Nosocomio, ubi „calore tempestatis, & MULTITUDINE ÆGRO-„TANTIUM, aër corruptus magis, magisque „alcalescens, factus est: unde non solum ibi per-„petuitas morbi, & constantia, sed nova quoque „ejusdem propagatio per urbem universam ti-„menda est. Quam facile conferta *Sanorum* quo-„que hominum multitudo, in spatio angusto vi-„vere coacta, Epidemicos huiusmodi morbos ex-„citare possit, nemo est qui non videat: quare „nullum hac in re efficacius, atque opportunius „remedium inveniri potest, quam RARITAS Æ-„GROTANTIUM, tantopere necessaria ad epide-„micam labem penitus extinguendam &c.

tia, Morbos cum Malignos, tum Pestilentiosos, ejus esse naturæ, ut aut raram, initioque duntaxat, aut nullam ferant Phlebotomiam; utque præcipue curentur sudoribus, aliisque evacuationibus. Universalis hæc omnium fere temporum & Medicorum, & Regionum, sententia sola in cunctis Scholis tradita fuit, solaque direxit medentes. Scilicet „ debilitatem esse proprium Pestis caracterem: Venæ sectione debilitari hominem; proinde exulare debere ex methodo Pesti, per se adeo debilitanti, medendi, "

Profecto *Vera* debilitas rite erit a *Simulata* interstinguenda, antequam illam in ægris adesse statuamus. In malignis morbis rara adeo hæc vera debilitas est, ut nihil magis, quam ejusdem frequentem in illis miremur mentionem. Experimenta tam pro-

pria, quam aliena, quisquis animo æquo consuluerit, idem fatebitur. Quotiesne contingit ut in Morbi acuti Metastasi periculosa, debilitas ab universo consilio Medicorum tanta judicetur, ut nisi mors certa crederetur præ foribus adstare, ad eamque propulsandam anceps Venæ sectio adhuc posset concedi, nullatenus concederetur; & ut interim facta tunc Venæ sectio, eaque iterata, tam belle sustineatur; ut quæ vires prius nullæ apparuerant, eæ jam valentiores, morboque coquendo aptiores, omnibus videantur? Optimum Virum, magni Regis Archiatrum, *Cothenium* laudo, quod ut Artis universæ, sic quoque hujus Observationis, probe memor, ægrotanti V. D. Præconi, quem maligna valde Peripneumonia invaserat, IN MAGNA VIRIUM DEJECTIONE Venam tutuderit, & in septimam usque

vi-

vicem phlebotomiam repetens, hominem brevi reddiderit ſanitati. *Vid. Ill. Halleri diſp. de morb. hiſt. & curat. Tom.* 2. *N°* 52. An unquam de hac veritate magno *Trillero* quis extitit perſuaſior, qui *Libr. de Pleurit. ægr. I.* venam credidit quinto Pleuritidis die ſecandam homini eſſe, quem moribundo, imo mortuo ſimillimum, ſe reperiiſſe ſcribit, quippe „ cui facies
„ pallida, naſus acutus, tempora col-
„ lapſa, os lividum, oculi torvi,
„ rigidi, & obſcuri, frigus per totum
„ corpus, pectus cum ſterno tumi-
„ dum, & elevatum, abdomen con-
„ tra retrotractum, pulſus intermit-
„ tens, myurus, & adeo debilis, ut
„ ſæpe vix percipi poſſet, reſpiratio
„ plane intercluſa, caput cum collo
„ flaccidum, pendulum, & in hume-
„ ros recumbens, vivida ubique mor-
„ tis imago. . . . Mihi vero in his

„ supremis angustiis constituto, con-
„ siliique inopi, experiri tum demum
„ placuit, ecquid tandem tertia Ve-
„ næ sectio præstaret... Jussi igitur
„ ut pedes frigentis & jamjam mori-
„ turi, calido balneo statim immitte-
„ rentur. Quo facto, dextri pedis
„ venæ vulnus sat vastum lanceola in-
„ flictum; ast incassum prorsus, ne
„ guttula enim cruoris quidem prodi-
„ bat: idem mox tentatum in altero
„ pede; sed eodem irrito plane mo-
„ limine... Mandavi iterum ut fer-
„ ventior adhuc aqua, imo ferven-
„ tissima affunderetur. Quod tanta
„ quidem sollertia præstitum fuit a
„ ministris, ut bullulæ excitarentur
„ in ægroti pedibus, & Epidermis
„ abscederet. Sed saluberrimo per
„ DEUM, & felicissimo eventu, ef-
„ fectuque. Utraque enim vena an-
„ tea frustra percussa, nunc voto no-

„ stro

„ ſtro perfecte reſpondebat, ſatisque
„ largam copiam læta ſcaturigine
„ ejaculabatur; ita ut 12 & amplius,
„ vitalis laticis unciæ in aquam de-
„ defluerent. Tum vero mirabilem
„ prorſus rerum viciſſitudinem, læ-
„ tamque Cataſtrophen vidiſſes. Mox
„ enim a ſectis venis vividus color fa-
„ ciei, blandus calor corporis, libe-
„ rior ſpiritus pectori, & fortior or-
„ dinatiorque ictus arteriis redibat,
„ noſterque ſemimortuus venator ſen-
„ ſim reviviſcebat" &c. Sputo, ſu-
doribus, & urina, ad nonum mor-
bi diem judicio integro abſolutus
eſt.

Tandem an non in ipſa debilitate
peſtilentiali ſuas largas iteratasque
phlebotomias, tanto cum ægrotan-
tium emolumento, illi Practici fece-
runt, quorum *Felix Platerus* meminit
„ qui extremum ex Phlobotomia re-

 „ me-

„ medium facientes, tam copiosa „ emissione sanguinis facta, ut animi „ inde sequeretur deliquium, se mul„ tos liberasse fateantur, & *nullam* „ *aliam nisi vehementem sanguinis detractionem* probent: an, nondum apparentibus Bubonibus aut Anthracibus *Sydenhamus*; an non iisdem jam extantibus, *Riverius*, *Botallus*, *Marescottus*, *Sinapius*, desperatos suos Pestilentes, & communi methodo passim pereuntes, mortis e faucibus eripuerunt?

At vero hic oggerere mihi audio illustres, quos veneror, æternumque venerabor, Collegas meos, spectatissimos in arte Apollinea Viros, me viam ad millena homicidia sternere, siquidem ex hoc consilio Tirones mei conclusuri sint, in quavis debilitate ægrotantium Venam tundendam esse; & Venæ sectionem, quam tot tristia exempla in debilitate ægrorum vitæ dele-

tri-

tricem esse demonstrassent, jam vitæ deficientis conservatricem habituri, vimque proinde ingentem peremturi mortalium. Ex motu, ac pulsu, Medicos ab omni ævo judicasse de viribus ægrotantium; in eoque exercitatiores felicitate praxeos, summaque qua cluerent laude, ejusmodi judicii veritatem demonstrasse æternam: Naturam humanam haud aliam nunc existere, quam sæculis elapsis: si virium defectus Venæ sectionem olim vetuerit, quod vires ad coquendam, movendam, expellendamque| morbi materiem, absolute requisitas, sterneret, eductoque cruore pauculo, quo vita aut aliquantisper adhuc protrahenda fuisset, aut augeri paulatim, reparari que potuisset, salutem desperatam redderet; idem & hodie verum esse: verbo sic intempestive admodum resuscitari *Leonardi Botalli*, in quo-

vis morbo, etiam debilissimo, venam secantis opinionem, quam in *quinta parte Institutionem suarum Boerhaavius* argumentis invictis explosisset; jamque vacillantes in praxi Tironum animos reddi, quos tantus ille Vir certos, firmos, securosque reddere, annisus esset. Homicidii reum æque eum esse qui languentem vitam adimat, quam qui tollat valentem. Et cum conscientiæ lex dictitet in rebus dubiis tutiorem partem semper amplectendam esse; quando tanta debilitas teneat ægrotum, ut, utrum vera illa, an personata sit, Medicus dubitet, eum a Phlebotomia abstinere oportere, ne auctam debilitatem mors ejus culpa excipiat. Porro hanc dubitationem in quocumque malignorum morborum genere frequenter occurrere, adeoque in eorundem debilitate a Phlebotomia religiose abstinendum

esse.

esse. Meum proinde consilium, quod praxin omnium sæculorum subvertat, quod sanæ Theoriæ adversetur, quod conscientiam lædat, ac Medicum denique, Vitæ qui conservatoris officio fungi debuisset, in carnificem convertat, hoc, inquiunt, consilium ab omni eo, qui Medicus Christianus, aut saltem humanus, audiat, relinqui, damnarique oportere. Eoque magis, quo abundantiora exempla prostant, restauratæ vitæ languentis per cardiaca, quam eandem in aliis temeraria Venæ sectio extinxisset.

Ad omnia hæc argumenta ordine responsurus dico *Primo*: Ad difficultatem omnem hujus quæstionis tollendam necesse fore, ut ex meris veracibusque observatis Lex sanciretur, quæ omnem tollens in omni casu litem, sic veram interstingueret a personata debilitatem, ut falli postliminio nemo posset.

 Di-

Dico *secundo*: Hucusque Observationes, ex tota Bibliotheca medica collectas, necdum sufficere, ut Lege adeo præstanti ditari ars, ornarique possit.

Inde *tertio*, Observationes, quæ extent, consulendas esse, ut quousque Medici in enodanda hac difficultate, progressi fuerint, evidenter pateat.

Hinc *quarto* affirmare audeo saltem malignis, pestilentialibusque in morbis, provectos eo esse Medicos, ut si non velis omnem, saltem præcipuam sustulerint hæsitationem.

Hæc res ut constet, paulo altius repetenda est. Ex Pestis historia(a) constitit eam morbum esse, qui majorem eorum, quos invadit, partem occidat. (b) Totam consuetam medendi pesti methodum ineptam fuisse, quæ ne tot strages ederet Pestis, impediret. (c) Cunctorum sæculorum Methodum fuisse,

fuiſſe, ut vel nulla, vel modica, eaque principio tantum, Venæ ſectio fieret, ægrorumque corpora aëre, tegumentis, & medicamentis, ad ſudorem potiſſimum compellerentur. (d) Hunc modum medicandi adeo univerſalem in Scholis fuiſſe, & adeo ſacrum ab omnibus habitum, ut unica Conſcientiæ Medicorum quies videretur in eo ſita eſſe, ut quæ peribat multitudo prodigioſa, non, niſi ad amuſſim ad tritas Scholarum regulas, tractata periret.

An tamen parta ſic conſcientiæ quies, ſolida eſt? Si mente præoccupata multitudinem ſequutus, nihil plus multitudine proficio; ſi æque multas conſuetudinis victimas lugeo; intereaque ſalubriorem, prioreque longe feliciorem methodum, ſciens volensque non arripio, ſuſpecta mea tranquillitas eſt, falſa eſt, & humano ge-

generi damnosissima. Si consueto more populum turmatim cadentem video, neque nisi raro, in Luis vigore saltem, emergentem; more autem haud quidem insueto plane, at insuetiore, numero longe plures, idque citius, sanescere; non est ultra mihi integrum, aut huic illum anteponere, aut alterutrum pro arbitrio sequi. Vel enim tot gravissimos Viros dedita opera nobis imponere voluisse, vel vera, demonstrataque tradidisse, statuamus oportet. Sed imposturam non esse evincunt tam eadem notissima multiplicis curæ exempla, quam libri, iisdem in urbibus typo excusi, in quibus contigerant. Reclamavit enim nemo; sive Magistratuum, sive Civium, sive Medicorum; a quibus plusquam credibile est ejusmodi Sycophantas publice prostituendos fuisse; imo potius alii aliorum experimenta con-

confirmarunt. Tandem Analogia, a ceteris malignis morbis petita, probare hanc posteriorem methodum videtur.

Tom. XIV. Vix numerandis testimoniis ostendi Missionis sanguinis in Peste præstantiam laudatam, & commendatam fuisse, ab omnibus illis Medicinæ Scriptoribus, quos laudavi ibidem; idque, quod bene notandum, haud secus ab his, qui Venæ sectionem, ut letiferam, in peste, proscripserunt, quam ab illis, qui eam, veluti Pestis anchoram sacram, salutarunt. Constitit enim multiplici testinio quam impense illi, qui phlebotomiam damnabant, scarificationes, narium, uterique hæmorrhagias, uno omnes ore laudarent, ab hisce corpora non debilitari, ab illa autem maxime, arbitrati. Eadem occasione ostendi ibidem, per multorum experien-

rientiam, parciorem Venæ ſectionem nocere utriusque partis teſtimonio: qui enim Phlebotomiam reſpuebant, non niſi aut unica, aut ſi iterata, ſemper tamen parca ea, ſuos periiſſe viderant ægros; id quod ſponte Phlebo tomiæ in Peſte patroni fatebantur, nec eandem, niſi per omne crudi morbi tempus, niſi largam, niſi ſæpius repetitam, laudarunt unquam. Excepta autem ſola phlebotomia, utraque pars largas, repetitasque ſanguinis evacuationes in genere mirum in modum extulit.

Conſtitit ergo non quamlibet ſanguinis evacuationem, ſed eam modo, quam in vena lanceola facit, damnatam fuiſſe; omnes vero Medicos aliquam, eamque profuſam, laudaſſe ſanguinis miſſionem, & hos quidem quamcumque, illos autem eam duntaxat, quæ aut ſcarificatione prodiret, aut quam Natura ipſa excitaret. Sic

Sic in Methodo medendi controversiæ omnis esse finis videtur: qui enim Medicorum, venam pestilentis secantium, exemplo motus, secat in peste venam; & qui veteris opinionis tenax, non secat venam, sed veterum hortatu scarificat; & hic, & ille, copiosum cruorem evacuans, id facit, quod quæritur, & de quo disputatur. Quid ultra ergo altercamur? Quid causæ, cur sententiæ affirmantis autoritas nos in Scholis nostris non urget magis? cur ejusdem non convincit demonstratio? cur non parit in exercitio artis concordiam?

Ratio in promptu est. Provoco ad medicos Scriptores omnes, qui in Peste Phlebotomiam proscripserunt, a Peste virium vitalium summam gigni debilitatem rati: utique Phlebotomiam alia de causa non damnant, nisi quod ipsa per se debilitans, pestilentem

lentem debilitatem immedicabilem reddat: eandemque in ſingulo maligno morbo tuentur ſententiam. Unde demum principatum obtinuit hæc per univerſam medicinam doctrina, quod in morbis malignis, ac præcipue in peſtilentioſis, aut in initio parca, aut potius nulla Venæ ſectio inſtituenda eſſet, quod hæc aucta debilitate vel in gravius diſcrimen conjiceret ægrotantem, vel ipſa etiam vita privaret. Imbuti hac Autorum, Scholarumque doctrina ab ipſo ſtudiorum exordio juniores; mature diſcunt nil plus Venæ ſectione in Peſte, malignaque febre formidare, nihil ea habere exitioſius. Hoc quidem ipſis condonare debere videmur. An vero eadem facilitate ipſis condonari oportet, quod ab una parte Veteris Scholæ odium in Venæ ſectionem, ut vires projicientem, animadvertentes, unaque imbi-

imbibentes, non perceperint quoque approbationem & laudes, quibus cruoris evacuationes, easdemque cum profusas, tum iteratas, quas aut natura per naturales evacuationes, aut scarificando Medicina faceret, idque potissimum quod hæ non debilitarent hominem, extulerit eadem honoranda Vetustas? Equidem inficias non ibo, dum veteres a parca Phlebotomia Malignorum, Pestiferorumque, plurimam partem interire intelligerent, eosdem in odium ejus adeo implacabile ruisse, ut quam evacuationem aliunde a natura arteque factam, iteratam, etiam & abundantem, quod non demeret vires, laudassent, oblivioni tradidisse viderentur, neque seris commendasse nobis, eorundem nepotibus. An vero hic attentionis, judiciique defectus, nos excusabit, qui sedato animo febrium malignarum, pe-

ſtilentialiumque hiſtoriam, atque curationem, ſcrutati, viamque curandi duplicem fuiſſe perſuaſi, nihilominus cæca erga antiquos veneratione, ſic illorum præjudicia animo imbiberimus, ut alteram ſine altera amplexemur? Nos, meliora edocti, erroneum id Veterum eſſe principium novimus, quod ſola Phlebotomia debilitet, haud vero reliquæ ſanguinis enarratæ evacuationes; utpote probe gnari & has, & illam, pro diverſa morbi conditione vires cum minuere, tum augere, poſſe. Nunquid ab hæmorrhagia narium, hamorrhoidum, uteri, tam profuſa, quam repetita, homines minus projectarum virium eſſe, quam a Vena ſecta, deprehendimus? Et ſi ſcarificatione lentior proſiliat cruor, an eadem diuturnitate, crebritateque, quam veluti inviti laudabant, profuſior, minorem creabit virium, quas deficere

cere ſtatuebant, proſtrationem? Candide igitur & audacter repetamus, Veterum hac in parte portentoſum præjudicium fuiſſe, erroremque millionum Mortium genitorem, quod a media phlebotomia ægros in pejus ruere gnari, in pejora a liberaliore ruituros opinarentur; ubi tamen Naturæ opera contemplati, ob id ſervatos homines intelligerent, quod largæ illæ, crebræque hæmorrhagiæ, copiam corporibus ingentem detraxiſſent.

Adeoque *quinto* concludo obligari quemcumque, ut in Peſte, eique conſimilibus malitia morbis, ſanguinem mittat largiter, ſi velit majore Veterum autoritate, rite perpenſa, tueri conſcientiam; ſive, phlebotome largiſſima, ſive, eam Veterum autoritate veritus, ſaltem ſcarificando, ſanguinisque evacuationes alias ſollicitando, promovendoque.

Tandem *ſexto* ſi in Acutis, Chro-

nicisve morbis cujuscumque generis, rarior ille existeret incertitudinis gradus, ut, utrum a vera, an a falsa debilitate, vires prosternerentur, indeterminabile foret; in eoque, ne ingens damnum ab evacuatione cruoris nasceretur, merito quis metueret; is ab eadem abstinendo tutiorem partem sequeretur.

Terminabo hoc caput Rescripto, quod non nisi absoluto opere accepi. Nequid ad elucidandam hanc materiem præterirem, scripseram ad *Ill. Comitem de Hauchepied*, Commercii Batavi *Smyrnæ* Directorem, ab eoque petiveram ut ad XI. quæstiones, quas mittebam, curaret mihi a Medicis, Chirurgisque, harum rerum gnaris, responsum adornari, quo demum certior de singularum *Smyrnensium* Nationum Methodo cum Pestiferis agendi fierem; *Thracum* scilicet, seu *Turcarum*, qui ceteris Nationibus una captis longe

ge numerosiores sunt, deinde *Armenorum*, tum *Græcorum*, atque *Judæorum*, tandemque *Europæorum*. Responso me honoravit Ill. Comes, a suo Medico, Exp. Domino *Zimmermann*, qui XI. annorum spatio praxin ibidem exercuit, multum peregrinatus in Asia, multumque cum Turcis, atque eorum Moderatoribus (*Basschas*) conversatus est, doctissime, suseque adornato; promisitque brevi relationem, quam alius Vir, egregius Chirurgus, pro me conficit. Ex hoc Responso patet.

Imo Nullam communicari *Turcarum* Methodum posse, eoquod nullam prorsum methodum observent.

IIdo Æque impossibile esse, ut ad quæstionem respondeatur, utrum, inito Peste affectorum enectorumque calculo, plures, an minores, apud *Thraces*, quam apud laudatas mox quatuor gentes, quottanis pereant? *Turcis* enim

numerum peſtilentioſorum nunquam notantibus, proportionem perpetuo ignorari. Anno 1771. ceterarum *Smyrnæ* gentium 4000. circiter homines peſte laboraſſe, vixque ſuperſtites ex illis ſeptingentos fuiſſe; ſic ut ne ſextus quidem ſervatus in vita fuerit: *Thracum* autem 15000. periiſſe; ſed cum, quot lues invaſerit, minime notent, proportionem illorum mortuorum cum reliquarum gentium mortuis nullam inveniri poſſe. Conjecturari quidem ſolere plures *Turcarum*, quam harum gentium, peſte perire; ſed dicta de cauſa incertam conjecturam eſſe.

III. *Turcis*, quemadmodum Methodum curandi, ita quoque Noſocomia deeſſe. Ceteras gentes quasque, nota jam Epidemia, ſua Noſocomia ordinare, turmatim in illis popellum excipere, initoque calculo deprehendere, ſi de centum ægris, ſingulis privata

in

in domo ægrotantibus, quinquaginta pereant, eodem tempore in Nosocomiis 80. de 100. mori. Subjungitur autem adesse in Nosocomiis numerosissimam ægrotantium turbam, rerum necessariarum inopiam, administrationis requisitæ defectum.

IV. Medicos, Chirurgosque, sive privatis in ædibus, sive in Nosocomiis, curam Pestiferorum vix habere; hanc potissimum relinqui Empiricis; illos solos Medicis atque Chirurgis gaudere, quibus ampla res domi sit. Empiricos hosce passim eos esse, qui pessima peste ægre emersi, seque ideo immunes ab illa in posterum arbitrati, Pestiferorum curam impavide suscipiant; licet præcedenti proxime anno hæc eos opinio sic deluserit, ut hi ipsi numerosiores cum affecti peste fuerint, tum per eandem mactati.

V. Methodum interim privatis in

ædibus

ædibus Urbis, ac Suburbiorum, observari a Medicis, Chirurgisque, qui ornatiores ac ditiores adeant. Fortunatissimam suam esse Responsi Autor testatur, qua Vena largiter, iteratoque, secet, & Spiritus acidos minerales propinet abunde; hisce enim excretiones Pestis criticas optime promoveri: Empiricorum autem incertum Vulgus studia in contraria scindi, sic ut pars omnium plurimos Missione sanguinis servari; pars plures, eo non misso, a morte præservari, contendant. Asserit autem Autor se suæ Methodi præstantiam mero didicisse casu, cum nonnullis venam largiter secuisset, quibus inflammatorium adesse morbum credidisset, in quibus tamen a Venæ sectione veræ pestis signa se manifestarent: his autem salutem tutius citiusque rediisse.

FINIS.

RATIONIS MEDENDI
CONTINUATÆ

TOMI I.

PARS ALTERA,



DE RESUSCITANDA VITA SUFFOCATORUM, SUSPENSORUM, &c.

De manu hominis, de manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis... ad imaginem quippe Dei factus est homo. Gen. IX.



Elenchus Capitum SECUNDÆ PARTIS.

Ca-

Caput V.

Nova experimenta ad demonſtrandam cauſam mortis proximam, tam Suſpenſorum, quam Demerſorum, quæ dubia plura, prioribus experimentis non ſublata, ſuſtollunt; & quorum in ultimo prima vice turgidus aqua Ventriculus Autori apparuit.

Caput VI.

De prima noſtra Anatome demerſi hominis, hominisque ſuſpenſi: de captis novis Brutorum experimentis, ad ea hominum examinanda, & illuſtranda: deque certa experientia deglutitæ aquæ.

Caput VII.

De errore ex experimentis. Nonnulla de vulgi more pedibus ſuſpendendi Submerſos, & in aperto utrimque dolio circumagendi; nec non quædam neceſſaria de Laryngotomia.

Caput VIII.

Reſponſio ad graves duas Objectiones.

CA-



CAPUT I.

Computatio multiplicis in vitam revocationis submersorum, in *Belgio fœderato* præcipue, tum & in *Rep. Venetorum*, & in *Austria*, &c.

§. I. *Felix vitæ revocatio in* Belgio fœderato *submersorum hominum, numero quinque supra quinquaginta, trium in* Italia, *unius in* Belgio Gallico. *Subditur præterea casus per omnia mirabilis, qui in* Hollandia *contigit hac æstate: sic ut spatio sesquianni ultra sexaginta submersis revocata vita ibidem sit.* §. II. *Recensio 27. auxiliorum, quibus usi ad hoc* Batavi *fuerunt.* §. III. *Defectus in illorum Relatione notatur, quod ii in ea desint, quibus auxilia*

xilia hæc minime profuerunt. §. IV. *Relatio submersorum* Austriacorum, *& quidem duorum, quibus, quod penitus putrerent, nihil adhibitum operæ est; Pueri, Studiosi, ac Fabri lignarii, quibus plurimus impensus labor fuit, citra & spem, & effectum; propter vel moram diuturniorem in undis, vel dilatum nimis auxilium, vel utrumque. Felix tandem cujusquam Operarii in vitam revocatio.*

§. I.

Tomo hujus Operis XIII. in Submersorum Suffocatorumque Historia multus fui, &, ad experimenta quæ retuli variorum Autorum, multa mea propria adjeci, brutorum, hominumque; quantulacunque autem mea propria fortuna erat, hæc tamen ipsa multis de causis, fortunaque multo celebrior aliorum, adigebant me, ut publicum in usum dissertationem paulo fusiorem adornarem: sic quidem ut,

ut, & quos felices auxiliorum eventus aliæ Regiones lætatæ fuerant, atque communicaverant, referrem exacte; & meos in rem eandem laboriosiores, quam fortunatiores conatus, ob id præcipue enarrarem, ut quibus similia promovendi animus foret, hi, quousque jam provectum negotium esset, ictu citius contuerentur, quæque ultra ipsis agenda forent, ut perficeretur idem, intelligerent.

Neque multo absimilior labor hic hornus est. Historiographus resuscitatorum Submersorum, tot dabo, tantosque casus, ut nemo mortalium stupendiores, numerosioresque, collectos viderit unquam. Tradam deinde quos exantlavi labores, multos, molestos, graves, assiduosque, quibus Naturam rerum, quousque Mortalibus exiguis nobis licet, ex latebris prodire suis cogere, reddereque

manifeſtiorem, anniſus ſim. Id autem benevolos Lectores rogo, ne immanitati aut crudelitati, tribuant frequens meum Canicidium: amo, colo, aloque hoc fidele animantium genus, grati animi natura doctorem, atque nobis ingrati animi crimen erga boni omnis Largitorem perpetuo exprobrantem; ea tamen mihi ſtat animi ſententia, ſi in alimentum vitæ pecora immolare expedit, idem nobis in tentandam vitæ ſuffocatæ refocillationem, reſtaurationemque, licere. Favebat autem impenſe deſiderio meo plebecula, ad canes, quotiescunque illis indigebam, mihi vendendos, præ annonæ, victusque omnis caritate, facilis, & ultronea.

Itaque ut ab exteris incipiam, prodiit *Amſtelodami* pars tertia *Hiſtoriæ Act. Soc.* in Submerſorum auxilium ibidem collectæ, referens nobis *tres ſupra quinqua-*

quaginta caſus hominum, quos ſesqui anni ſpatio unda merſos, multimoda auxilia in vitam revocarunt. Porro animadvertimus horum multos pauca minuta ſubmerſos fuiſſe; non paucos horæ quadrantem, nonnullos mediam, integram unicum horam. 2do Horum quadraginta & octo, mox ex aqua elatis, admota auxilia eſſe, unico poſt horæ quadrantem, tribus elapſa hora media, unico decurſo trium horæ quadrantum ſpatio. 3^tio^ Signa vitæ in eorum novendecim haud diu ab incepto modo labore apparuiſſe; in uno minutis horæ ſecundis octo elapſis, in altero poſt horam laboris, in duobus poſt ſesqui horam, in alio elapſo laborum bihorio, iterumque intra duas cum dimidia horas in quodam homine, in alio vero non ante tres conaminum reſuſcitandi horas; non memorato eo tempore in quatuordecim

Submerſorum. 4to Operam hanc poſt obſervata indicia vitæ promotam eſſe tempore duarum, trium, ſex, octo, ſedecim horarum, in non paucis plurium dierum usque ad perfectam ſalutem. 5to Horum in vitam revocatorum unum poſt biduum obiiſſe, qui ebrius incidiſſet in aquam; eam ebriorum ſortem ſæpe eſſe prioribus Tomi XIII. exemplis conſtitit; alteram elapſis ab inde diebus quinque, quam necdum bene a Pleuritide curatam fuiſſe velint; tertium brevi poſt percepta prima indicia vitæ; quartum forſan poſt bihorium, quem vulgi more pedibus ſuſpenſum rudius agitaſſent; quintam quinque, ut videtur, elapſis a revocata vita horis; ſextam ſexagenariam, quam plebis ad exemplum ſupra dolium ruditer moviſſent, tertio poſtmodum die. Sic ut pars ſexta illorum, quibus vita reſuſcitata fuerit,

ve-

veram brevi mortem occubuerit. 6to Septem in vitam revocatos esse, integreque sanatos, quibus livor faciei, quibus os naresque multa spuma fœdasset; unicum febrim, nonnullaque alia, quæ non exponuntur, passum esse; uni denique alterique sanatorum vultum tumidum a submersione lividumque fuisse.

Adduntur ad calcem duæ Submersorum in *Belgio* eodem historiæ, quorum alter post semihoram laborum, alter exacto eorundem bihorio, vitæ indicia præbuit. Hisce subjungitur Epistola, cum Societate communicata, Exp. Viri *Jacobi Maggioni* P. P. in Univ. *Patavina*, tradentis historiam pueri septem annorum, minutis 25. submersi, dumque extraheretur, faciei liventis, ore spumosi, ventreque inflati; quem demum post mediam operæ horam, ipse cum suis in vitam revocasset. Sequitur tertio Epistola

Chirurgi Officii Sanitatis, *Baſſani Venetorum*, nautæ caſum referens, qui horæ quadrante merſus, poſt mediam datæ operæ horam vitæ latentis primordia exhibuit. Ex Parochi Reverendi teſtimonio, quod adjungitur, patet horam forte elapſam eſſe, antequam illi, ex flumine erepto, auxilium ferri ceptum eſſet. Quarto, Epiſtolæ duæ Doctoris *Caneſtrati* caſum referentis feminæ 55. annorum, quæ ipſa ſeſe præcipitem dederat de ponte in fluvium *Atheſin*, & miliaris quadrante diſtante abinde loco elata, poſt inſpirati mox in pulmonem aëris minuta ſeptem, obſcurum præbuerat indicium vitæ, triduique reſtituta tempore fuerat. Adduntur teſtimonia Magiſtratus Sanitatis ad hæc tria exempla, donaque, quibus ſereniſſima Reſp. Ven. gratificata eſt Soſpitatores. Quinto accedunt *Inſularum* (*Ryſſel*)

ſel) Prætoris, Comitis *Du Bus* Litteræ referentes, ad fumum in Rectum Inteſtinum injecti Tabaci ſigna vitæ comparuiſſe in quodam Submerſo. Sexto demum ſcriptum Exp. Medici Ultrajectini *Stilting* memoratur, quo hominis, vapore carbonum ſuffocati, cura communicatur. Ad hos caſus notabilis alius addendus eſt pueri octo annorum, qui anno hoc 1771. die 30. Maji, in pago hollandico *Zoetermeer* ad Molendinam, aquarum motu agitatam, ſubmerſus, atque aquæ motu trajectus per ſpatium anguſtiſſimum in ipſum verticem, tandem inde elatus eſt, tempore Submerſionis ignoto; frictusque dein aceto & ſpiritu vini, denudatusque, & bene inſtructo foco expoſitus, ad ſe rediit; ſed oſſe humeri ſiniſtri, eoque ſiniſtri femoris, fractis. Fractura autem utraque trium ſpatio menſium integre curata; hiſto-

riam

riam Nova publica, ſive Diaria, communicarunt.

§. II. Operæ pretium erit ea auxilia enarrare, quæ ab illis plura, aut pauciora, quæ in aliis alia, infortunatis hiſce adhibita ſunt. 1mo enarrantur validæ concuſſiones corporis, pedibus in altum ductis, ac humili capite, rotationesque ſuper dolium, communi omnium temporum more. 2do Prompta a veſtibus madentibus nudatio. 3^{tio} Expoſitio corporis ad ardentem focum, furnumve piſtorium, aut ejusdem in ſacchariſicorum, ſpiritusve deſtillantium officina, ſtatutio. 4to Frictio univerſi corporis, ſive ſicca, ſive humida; & quidem ſicca aut ſimpliciter, aut cum vel fumo aromatum, vel ſale communi, vel cineribus; humida autem cum Spiritu vini, frumentive, aut ſimplici, aut compoſito, ut v. g. cum ſpiritu Me-

liſſæ,

lissæ, Sp. Vini Camph. Sal. vol. ol. Alexipharmaco *Bernardi Serraglia*, Sp. vini aut cum Pipere, aut Sale, aut rebus Aromaticis variis, aut Aceto, aut Lacte. 5to Aëris sive ipso ore in os submersi, sive ope tubæ, in Trachæam inspiratio. 6to Narium barba pennæ, spiritu salis ammoniaci madidæ, ope facta irritatio. 7mo Infusio in Gulam Vini, Sp. Vini, Butyri, Olei, Vini rubri calentis, calentis aquæ. 8vo Multimoda pressio & agitatio Thoracis Ventrisque. 9no Fumi Tabaci in anum immissio, sive communium fistularum, sive adaptati ad id Syphonis ope. 10mo Plantarum pedum percussio. 11mo Venæ sectio variorum locorum. 12mo Clysmata acriora. 13^{tio} Lecti calentis fotus. 14to Cubitus inter duos homines sanos. 15to Immissio aëris in Intestinum Rectum. 16to Appositio tegularum ca-

len-

lentium, linteamine involutorum, ad pedum plantas, ad utrumque & Ventris & Thoracis latus. Appositio itidem ad easdem plagas vel Suppedanei, ignito cespitum carbone calentis, vel stannei vasis, terreæve lagenæ, aqua fervida plenæ. 17mo Lotio universi corporis cum calida aqua. 18vo Emeticorum, Purgantiumve injectio. 19no Involutio corporis in stragulis laneis, unaque ante focos volutatio. 20mo Faucium, ac Epiglottidis, irritatio blanda, quo effectum, ut & vomitus excitarerur, & inconditus quidam perciperetur sonus. 21mo Inspiratio fumi Tabaci in os, atque nares. 22do Instillatio lenta, ac pauca, in fauces, non deglutiendi, sed irritandi causa, unde orta tussis. 23^{tio} Oris, Narium, Frontis, Temporum, frictio cum Sp. Sal. ammon. 24to Puerorum lenis in incunabilis agitatio.

25to Cucullus capiti circumpoſitus, ex cineribus calidis, inter duo linteamina poſitis, confectus. 26to Theriacæ ad cordis ſcrobem, eundemque ad locum, Cataplasmatis, ex Porris cum Aceto Lithargyrii & aqua confecti, appoſitio. 27mo Veſicantia Suris, Femoribus, Nuchæ, &c. affixa, Pedibus Epiſpaſtica.

§. III. Numerus Servatorum profecto multus eſt, ſic ut incredibilis videri iis poſſet, qui naturam Regionis, fluminibus circumdatam, fluminibus rivisque millies interciſam, lacubus ingentibus, magnoque maris Germanici ſinu, quem mare Auſtrinum vocant, interruptam, non noverunt; qui vero noverunt, minime mirabuntur, ex Submerſorum millenis non paucos, qui ſerventur, eſſe. Deſideratur autem in ejusdem Societatis Hiſtoria numerus omnium, quibus ex aqua

ela-

elatis non profuerit quodcunque præsidium. Si commercium Litterarium cum Urbium, Pagorumque cunctorum Prætoribus, in universo fœderato Belgio eum in finem colerent, haud minus frustraneos, quam efficaces suos exsuscitandi labores, suis in actis referre possent, proportionemque Servatorum cum non Servatis manifestarent: hæc enim exacte habentur omnia in Notis prætoriis. Forsitan nos, aliorumque Regnorum Medicos, atque Naturæ Curiosos, exiguum Servatorum numerum dolentes, hæc consolarentur, si haud multum dissimilis proportio ex illorum nostrisque Historiis, inter sese comparatis, intelligeretur. At vero de hac re postmodum latius. Necesse primum erit ea cum Publico communicem, quæ in *Austria* gesta sint, propriosque, quos tam in hominibus, quam in brutis,

sive

ſive ſubmerſis, ſive ſuſpenſis, peregerim, enarrem labores.

§. IV. In Tomo XIII. trium mulierum hiſtoriam dedi, quibus Vulgi auxilium opportune, moxque, adhibitum, vitam ſopitam reſuſcitaverat, quarumque deficientis diu ſanitatis curam in Noſocomio perfeceramus: exempla præterea duorum virorum, quibus cura maturiore ad amnem neglecta; noſtri ſeriores non profuerant labores: Quæ deinceps pluribus in brutis experimenta eo fine ceperam, effectu caſſa, ſpemque fruſtrata omnem, ſubjunxeram. Par illi erit, quam nunc tradam, opera; tentamina in hominibus primum, in brutis deinde ſuſcepta, enarrans.

Die 30. *Julii* ex pago *Ebersdorff*, duobus cum dimidio miliaribus hinc diſtante, attulerunt in Noſocomium meum cadaver, quod in *Danubio*

ſponte aquæ petierat ſuperficiem, adeoque putridum; & cum poſt elationem ex aqua adhuc 20. horis æſtivo calori expoſitum fuiſſet, corruptum adeo, ut lacera pellis undique a nigra carne propenderet. Non attigi, ſed illico, eo miſi, ubi Magiſtratus juſſu primo luſtrantur ejusmodi corpora, & ſepeliuntur.

Die 25. *Aug.* ex Pago eodem, in ipſa meridie, aliud cadaver præ putredine natans, ſex horis poſt exemtionem elapſis, inferre in Noſocomium voluerunt; quod cum non minus priore fracidum eſſet, ilico luſtrandum, tumulandumque, ut prius, curavi. Jamque facile prævidebam fore, ut inde numeroſiora ejusmodi cadavera afferrentur, cum arcuatus eo in loco *Danubius* inverſuram faciat, univerſa ſiſtentem, quæ ſecundo flumine ex tota *Auſtria* eo feruntur. Verum ſta-

ſtatim a Celſo Regimine cura habebatur, ut & illius, & vicinorum Pagorum Judices, officii ſui, lege Regia ipſis injuncti, ſerio admonerentur, diſcerentque ſpem vitæ omnem a putredine ademtam eſſe. Præteriturus caſum utrumque facile fuiſſem, ni in recenſendis infortunatis meis laboribus hoſce utroſque nonnulli retuliſſent. Neque multum diſſimilis, quæ ſequitur, hiſtoria eſt.

Die 9. *Aug.* in pago *Eipolta*, *Eipoltau*, *Leopold-au*, haud procul hinc diſſito, puer duorum necdum annorum in ædium area ludens, incidit, ad horam pomeridianam quartam, in puteum duorum cum dimidio pedum altitudine, partim aqua, partim bovina fœce plenum. Elapſo præterpropter horæ quadrante, quærentes illum parentes tandem reſupinatum in ſuperficie fœcalis liquidi invenerunt,

haud rigidum quidem, ſed omnino frigidum, citra vel minima indicia vitæ. Territus ad hunc aſpectum, atque ejulans Pater, ad Rev. loci Parochum accurrit, invenitque ibidem Balneatoris pagi Tironem, qui pro auxilio afferendo, Magiſtrove vocando, ruſticum hominem quod de puero, irrevocabiliter mortuo, tantopere ejulet, increpat. Hora octava veſpertina Pater convenit Judicem loci, qui ſecundum latam legem, quamprimum inquirere debuiſſet, num pagi Chirurgus ſuo erga puerum officio functus eſſet; jubereque, ſi defuiſſet, actutum expleret. Nihil autem horum Judex, patrem vero miſit ad loci, quem *Cloſter-Neuburg* vocant, Prætorem, ad quem ſpectabat omnis hujus pagi Jurisdictio; hic autem juſſit *Viennam* mox pergeret, a celſo Regimine, quid ſibi agendum foret, auditurus. *Viennæ*

au-

audivit transferendum corpus in meum Nosocomium esse. Ergo horis 26. a submersione frustra elapsis, ad nos delatum corpus est. Relatione hac ad Patris Matrisque testimonium in Chartam conjecta, mox totum necdum foetens, siccum jam ab hesterno die corpus, thoracem autem præprimis, pannis calidis fricuimus, brevique jugularem venam aperuimus, fluentibus inde unciis duabus cum dimidia sanguinis spissioris, plane frigidi, atrique. Linteis probe calentibus involutum corpus tunc in lectum; ignitabulo calefactum, reposuimus, stragula corpori imposita ignitabuli itu redituque continuo in calore conservantes, sic ut sensim caleret totum corpus. Vinum in os infusum gulam non subivit, nisi ejus tantillum gutturis externi contrectatione, denique ne quidem sic; digito meo gulam paulum dila-

tante, nonnihil plus descendit; syphone demum unciæ tres. Aërem inspiravimus primum ore nostro, dein folle, in Trachæam, interea dum ab aliis venter, pectusque, alium atque alium in situm, capacitatem, formamque, variata pressione, mutarentur. Ab initio autem, & hora deinde, pluriesque postea, fumus tabaci in Rectum Intestinum immissus est, naribus quoque & ori inspiratus. Barbaque pennæ anserinæ, Spiritu Cornu Cervi madente, nares irritatæ faucesque sunt, & Balsamo vitæ fricatum corpus totum. Tandem post quinque horarum laborem, linteamine, calidis cineribus strato, involutum fuit, repetitusque fumi tabaci clyster. Lividum denique, ac fœtidum post tot molimina cadaver, Magistratus examini, & sepulturæ, commisimus.

Pro-

Profecto longius exactum erat temporis ſpatium, antequam ad nos deferretur corpus, quam ut ſpem quandam conciperemus ſucceſſus: verum necdum tempus determinatum a quoquam erat, ultra quod inane quodvis auxilium eſſet; neque fœtebat adhuc puer; celſo præterea Regimini patere omnino debebat nihil a me negligi, nulli labori a me ſuperſederi, parcique, quamdiu abſoluta mortis certitudo necdum adeſſet. Tandem ſatisfaciendum conſcientiæ erat. Hinc & ſimiles alios ad me allatos non repuli, ut ultro conſtabit.

Die 12. *Aug.* ad horam nonam veſpertinam duo viri, probe appoti, in Noſocomium ſella geſtatoria intulerunt Medicinæ ſtudioſi corpus, in ſuburbana ſylva ex *Danubio* elatum: quo autem modo eum merſerat unda, quamdiu tenuerat, qua arte, quave

hora elatum corpus ex illa fuerat, rescire impossibile fuit de temulentis gestatoribus. Ne quid tamen negligeretur, quinque continuis horis per enarrata priore in casu artificia, imo pluribus aucta, revocandæ vitæ allaboratum, sed iterum frustra, est. Cum Justitiæ publicæ interesset nosse sponte, an vi, esset in fluvium præceps datus, contusione potissimum suspicionem movente, cadaver, quod nondum multum putredinis ostendens lubenter, concessa venia, aperuissem, Judicum examini relinquendum erat.

Die 18. mensis ejusdem adduxerant in Nosocomium Fabrum lignarium, quem pridie in hilaritate, ad jactum primum ædificii lapidem consueta, sic vina ceperant, ut ex porta Viennensi, quam *Stubenthor* appellant, vespere egressus, nec pontem nactus, recta se in fluvium Viennam præcipitem daret,

ret, vadoſam eo tempore adeo, ut media vix ultra ſesquipedis haberet altitudinem. A tempore veſpertino usque ad 4½ matutinam horam fluminis incola, conſpiciebatur tandem ab iis qui pontem tranſibant, in vultum pronus. Igitur ſupinarunt eum, hosque inter auriga, fune ad collum ſtricto, toties attollebat corpus, quoties tranſeuntium plures contueri vultum geſtirent. Curſum intera fuit ad Suburbii Judicem, quo jubente effertur aqua, & hora octava infertur in meum Noſocomium. Quantulamcunque ſpem mihi daret corpus 10. vel 12. horas ſubmerſum, continuoque quadrihorio ad vota cujusque de curioſa plebe conſtricto collo evectum, cum recens tamen eſſet, operam conſuetam impendere illi debui. Unde primum ſyphone ei tabaci fumum in poſteriora immiſimus, aërem que in os inſpiravimus. Frictio facta

deinde universi corporis linteaminibus fumo Mastiches, Olibani, Sarcocollæ, & Baccarum Juniperi penetratis, agitato præcipue, mutatoque inter fricandum pectore, atque ventre. Ex vena jugulari dextra aperta sanguis jactu pleno exiliit unciarum IV. quantitate, fluidus quidem, sed frigidus omnino, guttatimque alias IV. uncias vena dedit. In lecto ad ingens, copiosoque igne instructum hypocaustum admoto, collocatum corpus est, ignitabuloque stragula, quibus contegebatur, continuo calefacta sunt, quo demum universo corpori calor naturalis restitueretur. Tuncque Spiritus vini haud modica portio infusa illi in gulam est; protractoque ventris atque thoracis sub stragulis frictu, sanguinis guttulæ de naribus stillarunt: Frictio repetebatur primum sicca, dein aut cum Vini spiritu, aut Balsamo

vitæ,

vitæ, aut ſpiritu Cornu Cervi, aut aromatico fumo, ſimiliaque, ut & fumus tabaci, in os ejus & nares inſpirabantur. Tunſa quoque vena jugularis altera eſt, vix autem quidquam fudit. Enema fumoſum iterabatur, lenteque & prudenter noſtra Machina, *Italica* dicta, moderate calidam aquam in Inteſtinum Rectum injecimus. Repetito enemate fumoſo, corpus cineribus calidis totum involutum bihorio jacuit. Ad hæc omnia non modo non revixit corpus, ſed foetorem cepit adeo intolerabilem ſpirare, ut examinandum judici, tumulandumque, protinus fuerit.

En denuo quinque vicibus fruſtratum ſucceſſu laborem, eumque improbum, aſſiduum, nec minus quinque ſexve horarum ſpatio in plerisque, antequam vel hilum remitteretur, continuatum! Quanta in illo fortunæ

dif-

differentia, præ ea *Batavorum*! Verum quanta quoque differentia, cum moræ in undis, tum præcipitis post elationem ex iisdem auxilii! Nunquam enim hucusque ea fortuna mihi obtigit, ut mox eductis de flumine mersis manus auxiliatrices admovere licuerit. Sola tamen lege hac, casibus rarioribus, ac nonnihil forsan suspectis, exceptis, felicia aliarum gentium conamina fuerunt. Hac eadem conditione felices & Austriacæ gentis fuere conatus, ut trino exemplo Tomo XIII. ostendi, utque recens, quod nunc memorabor, exemplum testatur.

Contigit hac æstate in Arce *Strannersdorff*, ut Operarius, aliqua arcis in turre reparatione occupatus, de turre caderet sexaginta pedum altitudine in tectum arcis; inde resiliens, inque lacum, capite humili, præcipitatus, mox fundum peteret, iis,

qui

qui aderant, haud ultra conſpiciundus. Elapſa horæ pars quarta eſt, antequam extraheretur; extractus ne minima vitæ ſigna præbuit. Capite declivi agitatus, parum aquæ ore reddidiſſe fertur. In ripam ductum ſolis ardenti tunc admodum calori expoſuerunt, iterato concuſſerunt, pendulo capite agitarunt, ore autem exiiſſe nihil tunc dixerunt, niſi alimenti quondam ſumti portionem, ac ſanguinis grumoſi tantillum. Soluto poſtmodum, quod collum arctaret collari, horrende boare, vimque ad reſpirandum ingentem edere cepit. Madidis veſtibus tunc exutus, in Lectum repoſitus eſt, in quo varii ſpiritus, præcipue vero Aqua dicta *Pragenſis*, naribus & affricabantur, & inſtillabantur, linteamine calido repetite involvebatur, *unguentum rubrum* dictum, in potu Theæ ſolutum, in

os

os infundebatur, dorſo pectoreque eodem fricabatur, vulnera ſeu excoriationes, cadendo contractæ, vino calido lavabantur, ac deligabantur; tandem a balneatore, procul inde quæſito, nunc accedente, vena ſecabatur. Balſamo hoc diebus nonnullis adhuc uſus, brevi tempore integre convaluit.

Quatuor hæc exempla docent haud infeliciorem ceteris *Auſtriam* fore, ſi matura auxilia his, quos unda diutius morata non eſt, præberentur. Multaque me nunc ſpes alit fore ut plures in vitam reſtaurentur, propter Excellentiſſimi atque Nobiliſſimi Comitis *de Seilern*, Urbis Prætoris præſtantiſſimi, nunquam ſatis laudandam, ac pene incredibilem ad exequendas leges vigilantiam; Magiſtratusque nobiliſſimi aſſiduam eundem in finem curam ſolertiamque; a quibus id expectandum

dum eſt, ut urbium pagorumque & Judices, & Medici, Chirurgique, ſui quique officii memores, neque ultra putrida neglectave cadavera ad me mittentes, AUGUSTISSIMÆ maternis pro ſubditorum ſuorum ſingulo curis, ſupremoque ejus mandato, prompti pareant.

CAPUT II.

Recenſio novorum experimentorum ad illuſtrandum, promovendumque, Submerſorum auxilium.

§. I. *Experimenta in XV. canibus capta, qui primum ſubmerſi, aut ſuſpenſi, dein tentamentis omnimodis, ut, ſi qua ſopita vita ſupereſſet, reſuſcitaretur, ſubjecti; tandem omnem laborem ludentes, cultro anatomico luſtrati fuerunt. In omnium Pulmone, duobus exceptis, ſigna plura, minorave, inventa ſunt aquæ inſpiratæ,* de-

deglutitæ vero nulla; & in ſingulorum capite, duobus exceptis, nulla ſigna Apoplexiæ.

§. I.

Quamvis merito confidamus hocce negotium mortalibus magis cordi fore, pluresque horum infortunatorum in uſum vitæ redituros, inficias nihilominus non eo, & grave difficileque negotium eſſe, & eorum, quibus etiam mature admota ſit manus auxiliatrix, neque notabilis fuerit nexa in flumine mora, plures non reſurgere. Nondum clare ſatis evictum eſt, quodnam proprie & vere mortis genus ſit, quod merſos necet. Equidem experimentis, analogia, confectisque inde ratiociniis, quæſtio hæc quandam videbatur certitudinem adepta, poſt *Plateri*, *Littrei*, *Beckeri*, *Dethardingii*, *Senaci*, aliorumque, labores: ut ego ſane eorundem au-

autoritate permotus, litem fere decisam Tomo meo XIII. censerem; ita quidem, ut neque Ventriculus aquam hauriret, neque Pulmo, sed respiratione aëris penuria impedita, mortis primo simulacrum, brevique mors ipsa, sequeretur Verum enimvero haud perpauca contigere postmodum aliis, occurreruntque mihi nonnulla, quæ in meo Commentario, quondam super hac lite observata, notaveram, eam mihi dubiosiorem, quam unquam, reddiderunt.

Hæc tandem me impulit causa, ut rem ad incudem revocarem, adeoque repetito meo Canicidio, primum aqua mergerem hæc animalia, dein quæcunque & antiqua & nova adhiberem incitamenta vitæ, ac denique singula mortua lustrarem; ut quænam eorum in corpore partes, sive eædem perpetuo in singulis, sive in

aliis aliæ, afficerentur; quidque in illis aut mutatum, aut corruptum, aut ratione quacumque vitæ continuandæ ineptum videretur, intelligerem. Quindecim hujus generis bruta prioribus experimentis laudati sæpius hujus Operis Tomi immolaveram: numerosiora longe novorum experimentorum Victima erunt.

§. II. Die 23. Aug. hujus quem vivimus, anni, XVI. canem in aquam, Curcumæ radice impense flavam, mersi canistro vimineo, cancellato, lato sic, ut movere se in eo bestia posset. Quinque minutorum spatio mortuus videbatur. Crassa, flava, non pauca, eaque spumosa materies, aquæ superficiem texit, quæ utrum per superiora, an per inferiora, reddita fuerit, cane in aqua latente, discriminare non potui.

Bihorium integrum resuscitandæ vitæ impensum est. Tentamina consimi-

ſimilia eorum fuere, quæ in hominibus Cap. I. facta, retuli. Eadem facta & in cunctis ſequentibus fuerunt. Cum tædioſa foret ſingulorum repetitorum recenſio, monebo duntaxat, hic eadem, ut mox retuli, in ſingulis canibus ſic facta eſſe, ut ordine vel turbato, vel inverſo, vel geminato, vel denique truncato ſæpe, perficerentur. Si autem quid novi aliquando tentatum fuerit, aut ſingulare quidquam a cujuſpiam applicatione contigerit, ſuo in loco docebo. Caniculi nulli experimento ſubmiſſi ſunt, ſed omnes canes plurium menſium atque annorum, variæ ſpeciei & magnitudinis.

Canem itaque hunc nulla vitæ ſigna edentem, aperuimus. In ventriculo nulla aqua; in aſpera arteria atque bronchiis, ſubflavus liquor, copioſuſque idem, ac ſpumoſus, perſciſſiſque de lobis ſponte profluens.

Canem XVII. vitæ adeo tenacem reperiimus, ut non, niſi expletis decem minutis, ſub aqua quieſceret. Conſueta fuere molimina noſtra; niſi quod ipſi butyrum aqua fuſum in gulam, quo vomeret, injectum ſit. Non vomuit. Horam hic laboravimus duntaxat.

Num in ventriculum aqua merſionis introiiſſet, aſſerere nequeo: Ille enim, nec non Inteſtina, ea turgebat, quam in anum Machina noſtra injeceramus, aqua. In Trachæa parum liquidi ſpumoſi inerat; paulo plus ex transciſſis effluxit, compreſſisque, Pulmonibus.

Canem XVIII. majorem, fortem, intra ſeſquiminutum Submerſionis tranquillum in unda vidimus. In hunc omnia nota artificia adhibuimus, prætereaque eum virgis primum, dein & baculo, molliter quidem principio, rudius autem deinde percuſſimus. In bal-

balneo calido plus quam ſemihora fuit, continuoque in eo frictus; venam jugularem tunc ſectus, unc. IV. cum dimidia ſanguinis *tepentis* dedit.

Poſt ſeptem horarum laborem fætuit ſic, ut aperire eum noluerim.

Canis XIX. poſt ſex horarum tentamina eadem de cauſa apertus non fuit.

Die 10. Septemb. Canem XX. in nigram ex atramento aquam merſimus, vita adeo tenacem, ut novem minutorum ſpatio, quemadmodum jubet *Virgilius Georg I.* cum ovibus a ſcabie mundandis facere,

Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri;

Sic quoque *merſare* illum, aut ſæpius mergere, debuerimus. Spatio quinque horarum operationes quatuordecim factæ ſunt.

Horis circiter decem a ceſſato labore elapſis, apertus fuit. In ven-

triculo & cibos invenimus ; & noſtræ injectionis liquorem. Neque in Trachæa, neque in ſingulis loborum bronchiis, neque etiam in transciſſis lobis, aqua inventa eſt, quæ videretur nigricare debuiſſe ex atrata aqua. Parum quidem liquidi ſpumoſi premendo expreſſimus, at vero idem ex omni quidem cadaverum pulmone exprimere ſolemus : eratque tam parum, ut quotquot eramus, hæreremus ancipites, an plus foret, quam ex pulmone non ſubmerſo. Quod autem non nigreſceret hic liquor expreſſus, non valde urgeo : nam aquam poſtmodum examinantes, adeo leviter tinctam deprehendimus, ut vix tingeret chartam, utque eam in poſterum atriorem parari oportere ſtatueremus. Num pulmones turgidi fuerint, potius annuerem, quam negarem. Quia tamen in ſerie experimen-

mentorum, ipſo, quo fierent, momento, conſcriptâ, hoc omiſſum fuit, neque unquam in ejusmodi caſibus memoria ſupplere quidquam amo, dabo hoc experimentum ut dubium, & defectuoſum.

Canis XXI., non parvus, in aqua pura ſubmerſus, mortuus videbatur expleto quinto minuto. Præter experimenta conſueta, injectum in gulam emeticum fuit, compoſitum ex Aqua, Tartari emetici granis quinque, & Radicis Ipecacuanhæ ſcrupulo: a quo cum vomitus non excitaretur, aqua tepide injecta eſt; verum & fruſtranea hæc. Tempus operandi ſeptem horarum fuit.

Poſt X. horas aperuimus canem. In ventriculo & cibus inerat, & injectæ aquæ tantillum; in cibos quippe ſiccos pars imbibita erat, pars inter operandum agitandumque de ore

manaverat. Pauca ſpumoſa materies in pulmone, ut in proxime priore. Nihil ultra in notis invenio.

Cani XXII. in quinque minutis ſecundis mortuo viſo, protinusque exſiccato, ictus electricos centum ſpatio 16. minutorum dedimus, ictusque plures in nares determinavimus, in fauces, in oculos, inque dentes. Poſtea frictus ſpiritu vini camphorato eſt min. ſec. decem ſpatio.

In ventriculo nulla aqua, cibi autem non pauci. Spumoſum & cruentatum ſerum inventum in Trachæa eſt, idemque plaga inciſi pulmonis quæcumque copioſum fudit.

Cani XXIII. intra quinque minuta mortuo viſo, vim electricam admovi, ictum *Muſchenbroeckianum* infligere fruſtra conatus.

Nulla in ventriculo aqua: ſpumoſus liquor pulmonis, aliquanto, quam in

in priore quidem parcior, haud tamen paucus.

Canis XXIV. post septem minuta Submersionis quietus, tremulos convulsivosque Musculorum Crotaphytôn & Masseterum manifestiores, diuturnioresque, quam quisquam præcedentium, motus habuit. Post detersionem atque frictionem octo minutorum, dabantur fortes admodum electrici ictus numero decem, ad roboratam egregie Machinam. Post quatuor minutorum quietem, alii ictus valentes viginti; iterumque post aliquam pausam ictus adeo validi, ut ignis ex eo eliceretur. Tentaturi ictum *Musschenbroeckianum*, vitrum, requisita aquæ copia plenum, ad posteriores bestiæ pedes arcte alligavimus, pedem priorem ad electricum tubum admoventes: at vero ictus non nisi debilis prodiit, minorque longe,

quam ad ictus priores, corporis universi concussio. Suspicati num pili forsitan obessent, longe lateque totondimus eas, quibus vitrum exipiendum esset, partes; at vero ne sic quidem concussio validior: aqua vitri tamen tanta vi electrica prædita erat, ut ad appropinquans ferrum fortem ictum, scintillamque, generaret.

In ventriculo nihil; abundantiorem autem aquam spumosam neque ex aspera arteria, neque ex singulis lobis pulmonum perscissis, unquam eduxeramus.

Subiit deinde animum, noscendi quid omnia nostra tentamina in laqueo suspensis facerent, desiderium. In mandatis quippe erat haud minus his quam submersis, auxilium tentare. Vir inclytus *Morgagni* Epist. XIX. feminam noverat, quæ strangulata a nocturnis furibus

ribus, quo tuto ædes expilarent, ſic ut interemptam eſſe nemo dubitaret, demum ad ſe redierat, ſanguine de brachio ac pede miſſo, datisque Cardiacis. Similibus auxiliis, quibus apud *Riolanum*, & *Baconem Verulamium*, fomenta, calidaque balnea, addita legimus, ejusmodi alios ad ſanitatem rediiſſe comperiimus.

Canem itaque XXV. fortemque eum, atque minacem, laqueo ſtrangulavimus; quo in opere antequam ille caninam ſuam animam efflaſſe videretur, minuta elapſa decem ſunt: quin & tremuli in capite muſculorum motus longe & validiores, & diuturniores, quam unquam in animali ſubmerſo, apparuerunt. Mox mortuo, atque picea in tabula locato, tempore electriſationi egregie favente, ictus fortiſſimos conciliavimus numero viginti. Deinde canem totum electrea

vi

vi imbuimus ſic, ut ex illo validus ignis eliceretur, utque inconſiderate ego illum tangens, ictum tulerim, quam nunquam in vita mea, valentiorem, ingratumque illum, & adeo dolorificum, ut digitus ultra horam doleret, humerus autem ultra quadrihorium. Porro ictus ejusmodi quadraginta tulit canis. Ut ille profecto ictus experiretur *Muſſchenbroeckianos*; pede quippe cum anteriore, tum poſteriore, peculiari catena ligatus, recta a Machinæ accremento oriunda. Monendum tamen eſt concuſſus animalis eo debiliores obſervatos eſſe, quo Machinæ diutius ſubjectum fuerit; ſic ut tandem vix moveri, vel a valentiſſimis ictibus, videretur. Hiſce integram occupati horam, clyſma tabaci fumificum injici, abunde fricari, unciamque ſpiritus vini camphorati, cum tribus aquæ unciis, in

ven-

ventriculum instillari, curavi: quorum deinde ad singulam semihoram unum, alterumque, per horas quinque repetitum fuit.

Sequenti mane rigidissimum canem aperientes, vidimus omnem nostrum injectum liquorem ossibus, ceterisque valde copiosis ventriculi alimentis, ita imbibitum esse, ut ille fere siccus appareret. In pulmone non videbamur plus seri spumosi invenire, quam in pulmone sive non suspensi, sive non submersi, animalis.

Canis XXVI. magnus ac ferox, sic submersus est, ut in suo cophino nunc sub unda, nunc supra eandem detineretur, quo & respirationem sæpius revocabat, & recolligere sese videbatur; idque ad quartam usque vicem; postquam in altum ductus, penitus quievit. Novem tunc elapsa minuta erant. Convulsio maxillæ pauca,

le-

levisque, superérat modo. Mens quippe nobis erat explorare an, qui emersi aliquoties, adeoque aliquoties respirantes, ac demum subsidentes, perempti videntur, facilius his, qui ab initio recta fundum petunt, in vitam revocentur? Vulgique nunc more curam aggressi, in pedibus sublatum eum, & capite declivi, concussimus: quo in opere eam mirabamur sive puram, sive turbidam, sive spumosam, sive denique cruentam aquam, quæ vel ex ore naribusque, vel separatim ex alterutro, profluebat. Cessante hoc profluvio, si repositus parumper canis denuo ferebatur in altum, prodibat hic fluor iterato, paulatim tamen minor, in quartam usque vicem.

Pannis siccis calidisque fricuimus eum sex minutis, aërem nostrum, tubo in glottidem immisso, inspiravimus minutis duobus, deinde per undecim mi-

minuta follis ope; pulcre motum costarum ventrisque, ut in vivo animali, interea contemplati. Prima autem vice notabile quid obſervavimus, immiſſo, inter aëris enarratam inſpirationem tabaci in Rectum fumo, qui minuti primum ſpatio injiciebatur, pauſaque minuti interpoſita, iterum per duo minuta continuabatur: denſus enim, copioſus, nec interruptus, tabaci fumus animalis ab ore expirabat. Poſtque frictionem interpoſitam, repetito eodem fumoſo clyſtere, protinus denuo exivit ore fumus. Per quinque horas variæ operationes factæ ſunt; fumus tamen repetito injectus, haud ultra ore expiravit.

Sequenti mane aperiens, inanem liquido ventriculum reperii, ita ut, quod iterato pauca ſimul copia injectum in illum liquidum fuit, id ſiccis, quibus ventriculus turgebat, alimentis,

tis, abſorptum eſſe, vel Pyloro jam transmiſſum, neceſſe ſit. Pulmones vulnerati profuderunt rivos aquæ ſpumoſæ.

Dixi aquam copioſam, ſuſpenſo poſticis pedibus cane, juxta caput defluxiſſe. Vulgo ore eam naribusque profluam cenſent, quantum ejus toto de corpore juxta caput defluat, non advertentes. Id porro quo diſcriminaremus, deterſimus ſic beſtiam, ut de corporis ſuperficie defluere ultra nihil ſecundum caput poſſet; evidenter tunc, quod paucum prodiit, id naſo & ore prodire vidimus.

Coli atque Inteſtini Ilei bonam portionem, cujus in medio Valvula Tulpii erat, exſcindentes, aëremque flando æque facile illac, quam iſtac transprimentes, nullam invenimus reſiſtentiam Valvulæ a Cœco in Ileum,

pro-

propterea que fumum tam facile, tamque cito, ore exhalaſſe concluſimus.

Canem XXVII. mediocrem, nigrum, laqueo ſtrangulantes, octava horæ parte laboravimus, priusquam mortuus videretur. Inciſa mox jugularis vena fuit, quo revelleretur a capite cruor, vix autem turgebat vena, vixque ſanguinem dabat. Igitur altero in colli latere ſecturi, venam adeo vacuam invenimus, ut nullo modo ſub conſpectum caderet. Non collegimus plus uncia. Spiſſitudinem autem cruoris falſo quis hic accuſet, nam fluidus erat, ſanique ſanguinis inſtar in inſulam ſerumque ſtando abibat. Nihilo plus ſanguinis inciſa dabat ſiniſtro in femore vena. Guttulæ ſanguinis quidem ex naſo ſtillaverant, ſed hæ vix univerſi copiam imminuere cruoris. Canem tunc in balneum moderate calidum conjecimus, ore naſo-

que ſurrectis, ea ſpe fore, ut venæ apertæ abundantius fluerent, præcipue frictione corporis perpetua adjutæ; nihil vero dederunt. Tentavimus an reſuſcitato, per aërem folle inſpiratum, thoracis motu, motaque ſic circulatione, ſanguis de venis profiueret, ſed nihil omnino; licet operatio hæc ultra mediam horam prolongaretur. Reliqua ut in ceteris per bihorium: quinque deinde horis ad ſingulam mediam horam varia tentamina repetebantur.

Encephalon cruore turgidum fore rati, dubitavimus eſſetne dura Mater juſto rubicundior, nec ne? Pia Mater æque ad baſin cerebri, quam ad ejus latera, ſuperficiemque, omnino naturalis. Nihil abundantis ſanguinis effuſi in Ventriculis, nec in toto cranio. Pulmones turgidi, rubicundiſſimi, hinc inde jam purpuraſcentes; aër

aër immiſſus in colon, facile in Ileum transmittebatur: enema fumi tabaci tamen injectum non erat ut in proximo priore, ſed ex aqua communi cum ſalis communis, & ſpiritus vini camphorati ana uncia media.

Canem XXVIII. non minus priore vitæ tenacem, ſtrangulavimus quoque. Jugularem venam tutius certiusque ſecturi, cutim totam amovimus, quo & perſpicua magis vena eſſet, & longiore ſauciari vulnere poſſet. Verum vix ſesqui dragma ſanguinis extillavit, licet non modo partes vicinas fricaremus, ſed etiam ligaremus infra vulnus venam. Labor deinde, qui in prioribus, peractus eſt.

Utraque in Encephalo Meninx adeo naturaliter ſe habuit, ut nihil naturalius. Nullus effuſus in cerebri ventriculis ſanguis, nihil in ejus baſi. Ventriculi omnes cerebri humore va-

cui. Sinister Pulmo sanguine turgidior eo canis prioris, dexter minus.

Canis XXIX. aqua demersus spatio minuti mortuus videbatur, ob quosdam tamen convulsivos motus post elationem ex aqua perspectos, eum adhuc quinque minutis in sua sporta demersimus. Ei postmodum posticis pedibus elato, plurima aqua quinque minutorum spatio secundum os defluxit, interea dum pectus & abdomen manibus multum agitaremus. Attenti autem & avidi noscendi unde aqua hæc, partim primo ex ore & naribus, partim de universi corporis superficie; deinde a sola superficie, nihil ex ore, quod apertum servabamus, effluentem cognovimus. Horæ sex transactæ sunt solitis nostris tentaminibus.

Pia Mater adeo infarta sanguine, ut felicissima injectio vix præstare parem posset, haud in superiore duntaxat

xat parte, ſed & in toto ambitu, ipſaque in baſi. Ventriculi cerebri vacui. Rubicundi valde Pulmones, & quocumque in loco vulnerarentur, aqua ſpumoſa multa manarunt. In Ventriculo ſola noſtra injectio, ciborum parum.

Canis XXX. a Submerſione quinque minutorum poſterioribus cruribus ſuſpenſus, eadem dedit, quæ dederant priores, phænomena. Et hujus vena jugularis ſesquialteram modo fudit ſanguinis unciam; in calidum autem balneum cani poſtea immiſſo, adeo copioſus fluxit, ut profunde cruentata videretur aqua. Experimenta priorum etiam hic facta horis quinque.

Octo horis a finita opera elapſis apertus, exhibuit nobis Piam matrem univerſam admodum quidem, minus tamen quam proxime præcedens, ru-

bicundam, Ventriculos quoque vacuos. Ventriculus ut canis proxime prioris. Pulmo colore, humorisque effluentis abundantia, priori par.

CAPUT III.

Animadversiones in Capitis ultimi, ac penultimi, tentamina, quæ partem quidem difficultatis illustrasse deprehenduntur, partem vero minime.

§. I. *Exiguus in vitam revocationis successus, hic primum exponitur, ab auxilii admoti tarditate.* §. II. *Objectio formatur ex successus defectu in iis etiam canibus nostris, quibus omnia præsidia nota protinus admota fuerunt. Respondetur primo a natura canum, ceterorumque animalium, cum ea hominum comparata. Secundo a differenti modo hominum casu infortunato, & canum de industria, submersorum. Confirmatur ex* Hal-

Hallero, Morgagni, & Zacchia. *Tandem noster in Canibus labor negatur infelix esse, eo quod, inito calculo, decimus sextus servandus fuisse videatur, ni ipsi nos mortis in causa fuissemus.* §. III. *Causa discrepantis de natura mortis Submersorum sententiæ, exponitur a præcipitatione Medicorum, ex paucis exprimentis concludentium de re, ad quam plurima experimenta vix sufficiunt. Experimentorum hucusque factorum vi, sententia de aqua a Demersis deglutita, deque enormi ventriculi tumore, apoplexiam generante, infirmatur. Respondetur objectioni de duobus canibus petitæ, ac primo quidem ab Anatome frequentiore: secundo autem, ab inutilitate causæ hujus ad generandam apoplexiam in casu, in quo excogitari alia, longe potentior, possit: Tertio vero, a paucitate experimentorum hoc asserentium.* §. IV. *Plura longe experimenta mortem Peripneumonicam, quam Apoplecticam Submersorum, innuere videntur. Gravis objectio fit contra consuetudinem, aëra in Mersorum Pulmonem inspirandi, contraque Laryngotomiam.*

miam. Ad hanc Objectionem opponitur usus, experientia, eventusque felix, apud omnes gentes ab hac aëris inspiratione observatus; experimentis nihilominus ulterioribus tentandus, priusquam omni exceptione major dicatur.

§. I.

Pausari hic aliquantum ab experimentis oportebat, eaque ipsa examinari; &, an quid inde disci, elucidarique proposita quæstio posset, accurate inquiri.

Ac quidem 1mo fatebitur quiscumque hæc legerit, nunquam plura tentamina facta fuisse ad bestias, a submersione resuscitandas, quam ego fecerim, quæ omnia vero successu caruerint; uti & illa, quæ in hominibus.

2do Evidens causa in hominibus non succedentis experimenti patuit & longior eorundem esse mora in undis,

dis, & delatum nimis ab elatione auxilium. Tres conſervatorum hiſtoriæ, quibus pars operis hujus XIII. ſuperbit; quartaque, quam ſupra pag. 28. retuli, ubi neuter horum defectus adfuit, id, quod aſſero, evincunt abunde. Ut profecto nullus dubitem, quin noſtram hac in parte fortunam cum ea ceterarum Nationum, Batavæque præſertim, parem propediem lætemur, ubi & de poſſibilitate probabilitateque reſtaurationis, & de Conſcientiæ obligatione, qua haud Medicus, aut Chirurgus ſolummodo, verum mortalium quisque, ad auxilium modo quocumque præbendum teneatur, omnes & ſinguli convicti erimus.

§. II. Facile hanc meam aſſertionem eludere quis tentabit forte, exemplo triginta Canum, quorum nullus ſervatus fuerit, quamvis nec mo-

rati diu in aqua essent, nec prompto efficacique auxilio destituti.

Hic vero, quæso, mecum perpendat primo, quod aliorum meaque experientia biennio abhinc problematice proposuerim, An scilicet canum submersorum, aut suspensorum, quam hominum, tentata in vitam revocatio, longe difficilior non foret? Confirmat optimus *Hallerus El. ph. Tom.* 3. *pag.* 249. „Neque enim spem nimiam „fecero, inquit, qui aliorum quidem „felicem industriam laudem, ipse ve„ro animalia vere sub aquis suffocata, „etiam post perbreve tempus, nulla ar„te potuerim suscitare.“ Animalia porro hæc canes præcipue fuerunt. Perpendat præterea, num difficultatem hanc non augeat mergendi modus? Nequaquam enim quotquot homines merguntur, protinus subsident. Neque, ut canes mei plerique, vi trudun-

duntur deorſum, ut ne reſpirent, ſed, horum ſaltem haud pauci, brevius longiusve cum flumine pugnant, iique præcipue, qui norunt *æquoreum nando carpere iter.* Quam ob cauſam in Hiſtoria navali tot nautas legimus, nandi gnaros, feliciter emerſiſſe; ſi vero non emerſerint, diutius luctatos eſſe cum undis. Neque etiam nandi ignaros ſemper contingit ſic vaſto gurgite mergi, ut non ſubnatent ſubinde, pectusque aëre reficiant. Quin & in Submerſorum Hiſtoria flumine vectos offendimus facie prona, ut aliquantiſper reſpirare potuerint. Multum motitare ſe alii leguntur, licet non edocti natatum; & ut Poëta ait *ſecare ſpumantem pectore fluctum*, antequam ſubmergantur, ita ut labantem reſpirationem, morantemque humorum circulum, aliquoties reſuſcitent, antequam viribus deſtituti ſubmergantur.

Mei

Mei plerique canes, in Caniſtro incluſi, merſi ſic ſunt, ut neque nare potuerint, neque quo aëre pectus refocillarent, ſupernatare. Unde in eorum plerisque vita ilico extincta fuit, quam in Submerſorum hominum non paucis ejusmodi molimina a letali extinctione pauliſper morantur. Non incongrue huc referri eorum querelæ poſſunt, qui apud *Ill. Morgagni* Ep. XIX. „ non uſitatis modo, ſed exqui„ ſitioribus etiam, quam a quovis ad„ huc propoſita ſunt, auxiliis, ſe fru„ ſtra uſos adeo fatentur ad Canes „ plures, ſub aqua octo haud amplius „ minuta demerſos, in vitam revocan„ dos; ut ſpem fere omnem nobis adi„ mant ſubmerſis hominibus ſuccur„ rendi. „ Mittit porro hic Autor illos, qui haſce de fruſtrato in canibus labore querelas edebant, ad feliciores plurium hominum reſtitutiones,

con-

consolaturque eosdem Medici Romani *Zacchiæ* verbis, ad quem cum detulissent esse juvenem, qui post horam flumine exemtus penitus restitutus esset, respondit: *certum esse debere, non modo hoc miraculosum non esse, sed neque inter ea eventa connumerandum, quæ multam admirationem audientibus excitare consueverunt.*

Tandem desperatam adeo Canum Historiam esse, quam primo intuitu videtur, omnino nego. Canis Octavus Tomo XIII., & ut in sequentibus patebit, Canis XXXII. & XLI. Tomi hujus, resurrecturi fuisse videntur, ni priorem Venæ Sectionis neglectus, alterum operatio crudelis, posteriorem venenum altius in bronchia infixum, peremisset. Servata hac proportione, de centum Canibus sex reviviscerent. Si itaque demersorum hominum, suspensorumve, aut & suf-

focatorum, decimum ſextum quemque ſervaverimus, nunquid non erit, quod gaudemus? Et forſan labori & induſtriæ humanæ in opus adeo & humanum, & chriſtianum, ſic benedicet OMNIPOTENS, ut eorum longe plures ſervemus.

§. III. Cauſa intelligitur diſcrepantiæ Sententiarum inter Medicos, de vera Submerſorum morte, deque præcipue affectis partibus, acerbe litigantes; ſuam nihilominus ſententiam experientia anatomica utrinque confirmantes. Qui aquam ſtatuerunt inundare pulmonem, idque ſubmerſi demonſtrarunt, cadavere; qui ex adverſo id negarunt, quod aquam in cavo pulmonis aëreo haud reperirent, vera dixere utrique: condemnandi tantum in eo, quod alter affirmaſſet id ſemper eſſe, quod ſemel, bis, decies, deprehendiſſet; alterque negaſſet quod

ſemel

ſemel iterum in ſuo cadavere defuiſſet. Hominum demerſorum cadavera non licuit mihi aperire hucusque; de quindecim vero canibus hujus anni tredecim aperiens, bis aquam in Trachæa non reperii: ſi duos modo canes iſtos aperuiſſem, pluresque incidendi occaſionem aut non habuiſſem, aut mihi non comparaſſem, nunquid aquæ in demerſorum pulmone præſentiam jure negaſſem? Et e contrario ſi modo undecim canes, quorum pulmo aquam gerebat, aperuiſſem, & non illos duos, quibus experimentum defecit; rectene ſtatuerem deficientem nunquam in Submerſorum pulmonibus aquam eſſe? Crediderem fuiſſe, qui aqua turgidum invenerint Submerſorum Ventriculum, hincque apoplecticorum more perire ſubmerſos cenſuerint, exemplum teſtatiſſimum ſe ab ea Apoplexiæ ſpecie,

quæ

quæ ab oneratiore Ventriculo gignitur, habere rati. Perperam tamen & negarunt causas alias; & hanc solam Mortem conciliare submersis statuminarunt. In tredecim, quos aperui hucusque canibus, inundatum non inveni Ventriculum aqua; gnarus autem quantus experimentorum numerus sæpe requiratur, ut inde sententia formetur omni exceptione major, non auderem perpetuo ejusdem in Ventriculo notabilem negare quantitatem. Qui magni *Musschenbroeckii* in experimentis adeo frequentis, simulque prudentis, sententiam tenet, non nisi iisdem & numerosioribus, & idem clamantibus, conficere aliquid audet. Defuit aqua in meorum Ventriculis, ut autem deesse semper, tanquam mortis causam, definiam, longe plura Submersorum cadavera me aperire oportet. *Tanquam mortis causam* ea pro-

pter

pter dico, quod homo, aut canis, brevi ante ſubmerſionem aqua bene potus, eam in ventriculo gerere, dum aperitur, poteſt; citra eam tamen conſequentiam, quod hæc aqua deglutita ab eo ſit, dum mergeretur: haud alia ſane ratione, quam duæ cereviſiæ libræ in *Dethardingii* militis ventriculo inveniebantur, quas momento, antequam mergeretur, abligurierat.

Infirmatur interea hæc opinio de deglutita a Submerſis aqua, conſecutaque eam ob cauſam morte, 1mo ex defectu aquæ hujus in tredecim canibus: 2do ex defectu ſignorum apoplecticæ mortis in encephalo, apoplexiæ ſede, in recenſione anatomica cadaverum, quæ poſt Submerſionem aperta fuerunt. *Vid. Morgagn. Ep. XIX.* 3^tio^ ex demonſtratis aquæ in Submerſorum pulmone cum præſentia, tum effectibus: ſed de hac ultima ratione mox pluribus.

Interim quantumvis hæc ſententia datis de cauſis debilitatur; aliquid denuo roboris capere videretur ex canum meorum N° XXIX. & XXX. quorum hic Piam matrem admodum, ille vehementiſſime, inflammatam oſtendit.

Verum 1mo in laudata mox epiſtola *Morgagniana* Submerſorum cerebra nullam affecti peculiariter encephali dederunt demonſtrationem. 2do Etſi etiam in illis omnibus reperta ſimilia forent, an, retardato in Submerſorum pulmone humorum circulo, ſic affici caput non poſſet, ut ad eam explicandam preſſione tumidiſſimi ventriculi haud egeremus? 3^{tio} Ex præcedentibus vere, ni fallor, id confecimus, quod non duobus, non tribus, ſed numeroſioribus experimentis opus ſit, antequam aliquid certi eliciamus. Ad experimenta recen-

centiora, brevi referenda, hanc quæſtionem reſumam.

§. IV. Aquam Submerſorum pulmonem ſubire, ſeque in omnia bronchia, bronchiorumque ramulos, inſinuare, atque mole ſua ſic illos, veſiculasque premere, ut omnis ſanguinis ſiſtatur per arterias venasque fluxus, ſicut hominum cadavera in ſcriptis medicis, ita ea octo canum meorum, oſtenderunt: duobus equidem canibus videbatur experimentum deficere; ſed hujus defectus nonnulla forſan ratio haud improbabilis reddi poſſet. Malo tamen hanc diſcuſſionem recraſtinare, & poſt recentiora experimenta, quorum recenſionem hoc ipſo opere dabo, revocare. Sed quæſtio gravis ſequens prius examinanda eſt.

Suppoſita morte Submerſorum ab aqua inundante pulmonem nata, an

omnium nationum consuetudo inspirandi aërem in Submersorum pulmones; an nostri ad id aucti per follem conatus; an inspiratus post trachæotomiam, quondam institutam a nobis, aliisque laudatam, aër, suffocatam in pulmone respirationem, circulationemque humorum, resuscitabunt?

Non vana utique hæc quæstio est. Pulmonem in inspiratione copiosior, in exspiratione minor, semper tamen aliquis aër replet. Aqua aut ante se aërem pondere suo premet, inque ultima bronchia atque vesiculas pellet, aut intime cum eodem commiscebitur; nisi quis crediderit eum ab aqua pressum vi per glotidem exire posse. Quidquid horum sit, aër paucus, ore, folle, trachæotomia, inspiratus in trachæam, redibit in os, a superficie repulsus aquæ: plurimus vero ille, violenteque immissus, aquæ in trachæa super-

perficiem primo premet, dein cum aqua commiſcebitur, augebitque vaſorum ſanguineorum pulmonis, quam aqua inchoaverat, preſſionem, adeoque ejusdem quietem. Porro experimenta phyſiologica docuerunt nos, in arteriis venisque pulmonis ſtratum iter eſſe, quo ex illis in cavum pulmonis aëreum, viciſſimque ex hoc in illas, injecta materies penetret. Violentiore igitur aëris inſpiratione preſſio hæc augebitur ſic, ut aër, aqua commiſtus, haud modo cavum adimpleat aëreum, ſed in ipſa vaſa penetraturus ſit, ſanguinem fluidum ſpumoſumque redditurus, adeoque univerſam pulmonis aucturus molem: & ſi egregrius *Louis*, in ſuis *de cert. ſign. mort. literis*, in ſubmerſi corpore aquam, in pulmones hauſtam, eosdem ſic penetraſſe deprehenderit, ut cum ſolito expanſiore pulmone eandem utroque

invenerit in pectoris cavo; quid non ab aëre insuper inspirato, & inspirato tanta vi, metuendum est?

Hoc si admittimus, sponte capimus, quam non vana modo, sed noxia, sed letifera, omnis aëris inspiratio, maxime autem violenta, atque continuata, esse debeat; quamque proinde male hic de bronchotomia, seu potius trachæotomia, cogitatum sit. Oportune huc referatur, quod in sexto Tomo *Encyclopediæ Edit. Yverd.* Titulo *Bronchotomiæ* ex anonymo scriptore, quem eruditum suspicor *Louisium* esse, invenitur * „ Bronchotomia in auxi-„ liis ad revocandos a morte apparen-

te

* Enfin on a cru que la *Bronchontomie* etoit un secours pour rappeller les noyés d'une mort apparente à le vie: la persuasion ou l'on est, que les noyés meurent faute d'air & de respiration, comme si on leur eût bouché la Trachée-artere, est le motif de cette application: mais il est constant, que les noyés meurent par l'éau, qu' ils

„ te in vitam Submerſos, habita fuit. „ Et quidem perſuaſi homines, quod „ aëris reſpirationisque defectu, æque „ ac ſi trachæa ipſis obturaretur, Sub- „ merſi moriantur, demum pervene- „ runt. At vero certo certius eſt, eos „ inſpirata, bronchiaque replente aqua, „ perire. Diſſertationem de cauſa mor- „ tis Submerſorum Academiæ *Reg. Sc* „ *Par.* dedi, experimentorum plurium „ eventum, convincentesque continen- „ tem obſervationes. Præſentibus Do- „ minis *Morand*, & *Bourdelin*, ad id ab

inſpirent, & dont leurs Bronches ſont remplies, j'ai préſenté une memoire à l'Academie Royale des Sciences ſur la cauſe de la mort des noyés, ou je donne le detail de pluſieurs experiences, & obſervations convaincantes, ſur ce point. J'ai noyé des animaux dans des liqueurs colorées, en preſence de M. M. *Morand* & *Bourdelin*, que l'Academie avoit nommés commiſſaires pour verifier mes experiences, & ils ont vu, que la Trachée - artere, & les bronches, etoient abſolument pleines de la liqueur, dans la quellé j'avois noyés les animaux, ſujets de mes demonſtrations,

„ Academia deputatis, Animalia in
„ colorata aqua merſi, conſtititque il-
„ lis eorundem animalium trachæam
„ bronchiaque eo liquore omnino re-
„ pleta eſſe. „

Quantamcumque hæc argumenta veriſimilitudinem præſeferant, experientia nihilominus contraria docet, aërisque laudat, commendat, jubetque, inſpiratum. Numeroſiſſimæ revocatorum in vitam hiſtoriæ hanc aëris inſpirationem laudant; celebresque Viri, qui Submerſis ſubveniendi præcepta tradiderunt, eandem ſummopere inculcant. *Beckerus* anno 1704. aëris in Submerſorum pulmone incluſi rarefactioni, mortem tribuens; *Littræus Ac. Reg. Sc. Par. ann.* 1719. *pag.* 32. *&c. edit. in* 8. vacuos pene pulmones, ventriculumque, aqua docens, ſic ut ſi quandoque aliquid intraverit, id paucum eſſe neceſſe ſit; *Senacus ibid.*

An.

An. 1725. *pag.* 16. *&c.* qui non modo aquam aut inſpirari, aut deglutiri negavit, ſed eam vel inſpirationem, vel deglutitionem, impoſſibilem ſtatuit; aëris inſpirationem in Submerſorum trachæam laudare debuerunt: *Petitus ibid. anno* 1741. *pag.* 96. quoque defectu aëris in illis, non vero aqua aut inſpirata aut deglutita, Submerſos perire per ſua in animalibus capta experimenta credidit; ipſa *Academia Reg. Sc. Par.* quæ anno 1740. & 42. præcepta condidit opitulandi Submerſis; præcepta, quæ ad omnes ſuos ſubditos miſerunt Comes de *Maurepas*, rei marinæ Miniſter, *d'Argeanſon* Pariſiorum Cenſor, & *de Marville* urbis ejusdem Prætor, ut hæc in ſua quisque ditione religioſe obſervarent; dexterrimus Vir *Louis* in laudato jam opere; egregius *Isnard in opere a Veſuntina Academia coronato*, in enumerandis Submerſorum auxiliis

hanc aëris in pulmones inſpirationem præ ceteris laudant. Quandoquidem igitur argumenta adverſus hanc operationis partem ſuperius prolata, & autoritatem gravem, & experientiam multiplicem, ſibi contrariam habere videntur, non erit cur illam improbemus. Quod ſi quis regerat plures laudatorum Virorum erroneo de vacuis ab aëre pulmonibus ſyſtemate ſcribentes, hic audiendos non eſſe; reſpondeo eosdem etiam contra eum, quo laborarent errorem, utilia præcepta tradidiſſe; quin & his autoribus neutiquam auditis, ſolam hic plurimæ autoritatis experientiam eſſe. Hæc hucusque: iteratis experimentis, multorumque numero auctis, hæc reſumam.

CAPUT IV.

Ad quæstionem: Utrum iis, qui laqueo suspensi sunt, eadem auxilia præstanda, quæ Submersis, an vero alia? ut respondeatur, examen præmittitur de causa proxima mortis Suspensorum.

§. I. *Cum numerosis Medicis Autor crediderat quondam, apoplexia interimi Suspensos. Obstat nihilominus Virorum haud minus illustrium sententia, Peripneumonia illos perire statuentium.* §. II. *Respondetur iis, qui in suspendio colli vertebras, earumve ligamenta, diffringi arbitrantur.* Morgagni *consideratio. Experimenta a Viris claris,* Van Doeveren, *&* Stolte, *ad hanc quæstionem illustrandam. Plurium antiquorum, recentiumque Scriptorum Observationes de Suspensorum resuscitatione, iisdemque auxiliandi consilia.*

§. I.

§. I.

Anatomicus ſuſpenſorum canum conſpectus, an apoplecticæ mortis, Suſpenſis laqueo vulgo adſcriptæ, refutatio non eſt? Fateor me, hoc ita credentem, ad hunc conſpectum obſtupuiſſe; iteratoque celebriores conſuluiſſe Autores. Inquiri quippe in hanc rem oportebat, ut conſtaret, utrum Suſpenſorum, quam Demerſorum, eadem auxilia forent; quod quidem lex lata juſſerat, dubium vero poſtmodum & mihi, & aliis, moverat; eos apoplectica morte perire ratis. In examine Autorum, conſtitit quidem *Dethardingio* in ſua docta ad *Lucam Schroeckium* Epiſtola, de *Methodo ſubveniendi Submerſis per Laryngotomiam*, Suſpenſos viſos fuiſſe hoc eodem mortis genere, quam Submerſos, interire, at ſenſu prorſum eo, ut non Apople-

plecticorum more, ſed Peripneumonicorum, interirent utrique. *Wepferus*, *Littreus*, *Alberti*, *Bruhierius*, *Boerhaavius*, notant, in Suſpenſorum non modo externo capite, ſed præcipue interno, & turgida admodum vaſa ſanguinea eſſe, & effuſum ſæpe ſanguinem ſe, ruptis iisdem, inveniſſe; unde illis apoplecticam contingere mortem paſſim concludunt: color purpureus in vultu, oculi rubri turgidique, rubedo integumentorum capitis; tumida lingua ac labia Suſpenſorum, ſopor, ſcintillæ, tenebræ, quas ii, qui ſuſpendio ſupervixerint, ſe eſſe expertos teſtantur, hanc opinionem ipſis confirmare videntur.

Interea alios celeberrimos Scriptores invenire eſt, qui a lumbrico terete, a fruſtulo carnis, a pilula, ab ovis induratis, a phaſeolo, a piſo, a gramine, ab oſſiculo, a nuce, a nummu-

mulo, in glottidis rimam illapsis, subitaneam mortem accidisse nonnullis, ut *Bonetus Tom. I. pag.* 485. sui Sepulcreti, ut *Petitus* Chirurgus, Illustrisque *Hallerus*, referunt, edocti; mirantur in cerebro causam mortis proximam quæri, dum adeo perspicua ab intercepta per laqueum respiratione appareat? Nec alia mens *Joanni Mariæ Lancisio* erat Libr. I. *de subit. mort. Cap. IX.* „Asserimus primo ex parte
„ instrumentorum respirationi inser-
„ vientium animalia repente posse
„ interire, si aspera arteria ejusque
„ bronchia obstructa, convulsa, vel
„ compressa, citissime, ac penitus
„ iter aëri per pulmones interclu-
„ dant; ut in laqueo Suspensis passim
„ animadvertitur, vel in iis, quibus
„ solidum corpus inter deglutiendum
„ laryngis foramen occludat, vel pus
„ rupta vomica, vel aqua in Demer-

„ sis

„ ſis per bronchia loco aëris diffuſa,
„ non revomantur.

§. II. Hanc vero laquei conſtrictionem negant alii eſſe talem, quæ omne intercludat externa cum aura commercium: non reſpiratione penitus intercepta Suſpenſos mori, ſed vel fractura vertebrarum colli, ligamentorumve illarum, eos mori quidam aſſerunt; alii hanc fracturam non negantes iis in Regionibus ubi carnifex in ſuſpenſi occiput pedibus inſultare dicitur, non admittunt eandem, quibus in locis is carnificum mos non eſt; adeoque ejusmodi cauſam proximam mortis Suſpenſorum ſtatuendam eſſe, quæ in omnes varios ſuſpenſionis modos mortem ex æquo exponat, merito petunt.

Sapienter hic, pro more ſuo, *Morgagni Epiſt. cit.* §. 38. " Quodſi igitur
„ impedita reſpiratio circuitionem
„ ſan-

„ ſanguinis per ſe impedit *intra bre-*
„ *ve tempus*, intra *breviſſimum* impe-
„ diet per cerebrum eorum, in qui-
„ bus ob carotides & jugulares, eo-
„ dem tempore laqueo conſtrictas,
„ vix tantum ſanguinis illud habebat,
„ ut per vertebrales arterias venasque
„ ſervaret quadantenus circumitio-
„ nem. „ Hoc nunc communiter ſic
ſe habet: tuncque infarta ſua vaſa non
monſtrabit encephalum; eſt tamen
ubi monſtret: " Siquando autem
„ priusquam tranſitus ſanguinis per
„ pulmones omnino impediatur, for-
„ te contingat, ut ob eas cauſas, quæ
„ ſupra commemoratæ ſunt, (quod
carotides ab eminentia aſperæ arteriæ
parumper defendantur) „ aliquid ſan-
„ guinis influere tunc pergat per ca-
„ rotides, minus adſtrictas, quam
„ ſunt jugulares, non modo ſan-
„ guinis circumitio per cerebrum ſub-

„ ſiſtet,

„ ſiſtet, ſed ipſe ea copia cumulabitur, „ unde mox vaſa disrumpantur. „ An non clare percipitur cauſa cur, quemadmodum in canibus meis Suſpenſis, cerebrum vix ſanguinem habeat, aliquando autem inundetur eodem, citra tamen illationem veluti mutati modi mortis?

Verum ultra perrexit rem certius determinandi cupido. Cl. *Gualterus van Doeveren* præclarus *Groningenſis* olim, nunc *Leidenſis* Medicinæ Profeſſor, *Obſ. Acad.* Cap. XIV. §. XXI. No. 10. „ Laqueo dein ſuſpenſus canis, in„ quit, (quem ad experimenta irritabilitatis atque ſenſibilitatis, mire licet torſiſſet, & trepano duram matrem denudaſſet, vivum eo uſque tamen, diuque deinceps, ſervaſſet,) „ laqueo igitur dein ſuſpenſus canis, „ videndi cauſa, num per ſtrangula„ tionem in capite accumularetur ſan-

„ guis, nullum obſervabamus copioſiorem ſanguinis effluxum ex „ Duræ Matris (læſis) arteriis „ Et No. XVII. " Cum jam ceſſaret Hæ„ morrhagia, laqueus collo injectus, „ & reſpirationem intercipiens, non „ reſuſcitabat ſanguinis profluvium „ ex Dura Matre.

Expertiſſimus *Stolte*, in erudita ſua diſſertatione *De morte ſuſpenſorum*, hoc ipſum *Cl. van Doeveren* experimentum quater eodem effectu repetivit: canem præterea alium ſanum laqueo ſuſpendit, ſuſpendii ſolius examinaturus effectus; contraque eos, qui trachæam non perfecte claudi, ſed apoplexiam a ſuſpendio ſequi cenſent, manifeſto demonſtravit, ſtylo, per laryngotomiam inducto, & imperviam aëri aſperam arteriam laqueo reddi, & aſperam arteriam non diffringi ab illo, ſed ad vertebras penitus complana-

na-

nari; ita tamen ut relaxato ſune, reſiliret, ſe reſtitueret, ſicque oſtenderet, quam debili ac fallaci fundamento illi niterentur, qui in ſuſpenſorum cadavere, ablato per carnificem fune, demonſtrare anniſi erant ſtrangulationis effectus; tandem vertebras neque luxari a ſuſpendio, neque diffringi.

§. III. Ab omni retro tempore neque omnes ſuſpenſos inevitabiliter mori, neque auxilia, quæ vitam pauculam latentem exſuſcitent, detrahenda eſſe, Hiſtoria Medica docet. *Oribaſius*, *Aëtius*, & *Aegineta* horum meminerunt.

Dignum cenſeo textum exſcribere *Libr. III. Pauli Æginetæ*, Scriptoris ſæculi IV. *Clerico*, Sæculi IV. aut V. *Scriptoribus Encyclopediæ*, Sæculi VII. *Freindio*, & *Morerio* habiti; eo quod ſubmerſorum, ſuffocatorum, ſuſpenſorumque, eandem velit curam eſſe.

 „ Ex

„ Ex his vero qui ſtrangulantur, manus non admovebimus his, quibus jam ſpuma circa os eſt, *Hippocrati credentes.* (*) Alii vero revocantur aceto & pipere inſtillato, aut urticæ ſemine in aceto acerrimo trito. Laborioſe vero admittunt, quare cogere oportet. Diſſolutis autem circa collum ruboribus, ſtatim ſuſpiciunt, & relaxantur. Similiter etiam in naufragiis, & in ſumma in omnibus, qui ſuffocantur. Reſuſcitatur enim horum calor.

Deinde *P. Foreſtus*, *Camerarius*, *Verulamius*, *Wepferus*, *Derham*, *Geſnerus*, *Bruhierius*. *Ill. Præſes L. B. van Swieten*, aliique, hiſtorias plures nobis tradiderunt. Duo hic præprimis ex

* Mentem *Hippocratis*, *Paulus* non eſt aſſecutus, ut *Tom. XIII. a pag. 257. ad 260.* Aphoriſmum ex ipſo *Hippocrate*, aliisque, explicans, oſtendi.

ex *Camerario* notanda ſunt, *Cent. VII. No.* 39. Titulo *Fures ſuſpenſi reviviſcentes* "Anno 1440. 16. die Martii, De-
„ cano Facultatis Medicæ exiſten-
„ te *M. Joanne de Baumgarten*, octo
„ fures ſuſpenſi fuerunt, ex quibus
„ unus ad *Sp. ſanctum* introductus
„ eſt, ac Corpus ejus deſtinatum Ana-
„ tomiæ: ſed quia iterum *ope & in-*
„ *duſtria Medicorum Viennenſium* revixit,
„ liber dimiſſus eſt. Hæc ita deſcrip-
„ ta reperiuntur in antiquo Collegii
„ Medici Actorum Libro. Optandum fuiſſet, ut quid ad reſuſcitandum hominem *Viennenſes* Medici adhibuiſſent, una dediſſet Hiſtoria. Huic defectui vero quadantenus ſupplevit *Cardanus* ibidem *No.* 40.

" Anno 1492. Conradi Preznau-
„ ers *de Buechberg* ſuſpenſi, & ſtran-
„ gulati corpus, Facultati Medicæ
„ ſecandum tradebatur. Animad-

 „ ver-

„ vertunt Medici aliquem ſpiritum „ vitalem in hoc corpore ſupereſſe, „ quamvis morti valde propinquum „ eſſet (*) Proinde ex utraque cepha- „ lica ſanguinem largiter detraxerunt, „ aliaque neceſſaria adminiſtrarunt. „ Apparuerunt in illo ſymptomata „ horribilia, ſuffocationem minantia, „ ſpuma circa os notabilis aderat, & „ perſeverans; propterea Medici „ *Hippocratis Aphoriſmum Sect. III. No. 43.* „ allegabant: *ſtrangulati & diſſoluti non-* „ *dum mortui, non reconvaleſcunt, qui-* „ *bus ſpuma circa os fuerit.* Hunc tri- „ um litterarum hominem (**) for- „ tiſ-

* Signa hæc non comparuiſſe, dum patibulo ſolveretur corpus, ex eo certum fit, quod tunc ad ſecandum in Medicorum Collegium allatum non fuiſſet. Motu forte in via, ſoluto jam laqueo, latitans primum vita ſe prodidit tandem, ita ut nihilominus, quo reſtauraretur, indigeret auxilio.

** *Trium Litterarum homo* apud *Plautum in Aul. 2.4.46.* dicitur FUR, quod trium Litterarum nomen ſit.

„ tiſſime conſtrictum, ob vehemen-
„ tes capitis, pedum, imo totius cor-
„ poris commotiones, (nulla enim in
„ homine erat quies) quatuor perſo-
„ næ fortes, athleticæ, tenuerunt: a-
„ lias ne ſe ipſum denuo interfeciſſet
„ periculum fuiſſet, mente nimirum
„ laborantem. Retulit poſtea ſe non
„ poſſe in memoriam revocare ea,
„ quæ ſecum acta fuerant, ſe tantum
„ meminiſſe, quod in prætorio fuerit,
„ ſed quid poſtea factum ſit, ſe igno-
„ rare. Dicitur etiam poſt multa no-
„ va furta denuo ſuſpenſus eſſe, ſiqui-
„ dem quod corvis debetur, vix ſub-
„ mergitur.

Hic ſaltem venæ ſectionem brachii narrat utriusque. Sed plura addidit *Wepferus de ſed. Apopl.* qualia nos in Submerſis; & præterea decubitum cum ſana femina, in curatione mulieris a Carnifice ſuſpenſæ: ut autem brevis ſim, tra-

dam curationem variam, quam exp. Vir *Stolte* in laudata ſua Diſſertatione ex *Oribaſio*, *Aetio*, *Verulamio*, *Foreſto*, *Pechlinio*, *Hoffmanno*, *Alberti*, *Bruhierio*, *Ranchino*, *Beckero*, *Louiſio*, ſummatim tradidit. Scilicet "Ori infundenda Me-
„ dicamenta eſſe, quia aliquid diffi-
„ culter (imo nihil omnino) admitti-
„ tur. Collum illis multo oleo cali-
„ do inungendum eſſe, & lana, ce-
„ ratove, continuo fovendum: iisdem
„ adhuc reſpirantibus ſternutatoria
„ indenda in nares, ſecandamque in
„ Cubito venam: dein & venam il-
„ los refert ſecuiſſe, etiam in quibus
„ nulla ſui ſigna vita daret; balneis
„ calidis, remediis cardiacis tanto,
„ ut videbatur, ſucceſſu uſos eos fuiſſe,
„ ut *Verulamii* tempore Medicus qui-
„ dam nullus dubitaret, quin omnes
„ ad mediam a ſuſpendio horam re-
„ ſtitui in vitam poſſent, quibus (ex

„ opi-

„ opinione jam recensita superius) „ vertebræ illæsæ essent. Cum nudo „ decumbendum, fauces irritandas, „ & adaptato instrumento inflandum „ aëra in pulmones esse, vapores suf- „ fimigii more excitandos; rubefa- „ cientia pectori, vesicantia nuchæ „ admovenda; Venas sublinguales, „ aut jugulares, incidendas quoque „ esse; ab homine, qui prius aroma- „ ta masticasset, inspirandum aërem „ in os Suspensi esse; aërem per bron- „ chotomiam itidem inflari oportere; „ immitti oportere quoque aërem in „ jugulares Venas, fumosum tabaci „ in anum clysma: tandem ex opti- „ mo *Louisio*, præter jugularis sectio- „ nem, calidique aëris inspirationem, „ superficiem corporis calidam servan- „ dam esse, atque frictione irritan- „ dam; deglutitione autem paululum „ liberiore Vinum cum aromatibus

„ calide ingerendum esse, expecto-„ rantiaque propinanda;" quæ, ut *Louisius* autumat, singula, si is, quem ad *Marcum Antonium Calas* vocassent, Chirurgus tentasset, truculenta *Tolosana* historia contaminati non fuissent Galliæ Annales.

CAPUT V.

Nova experimenta, ad demonstrandam causam mortis proximam, tam Suspensorum, quam Demersorum, quæ dubia plura, prioribus experimentis non sublata, sustollunt, & quorum in ultimo prima vice turgidus aqua Ventriculus Autori apparuit.

§. I. *Sententiarum diversitas, & problemata sex, ad nova prorsumque alia, experimenta compulere Autorem.* §. II. *Incipit examen anatomicum & suspensorum, & mersorum Animalium, nullo auxi-*

auxilio ad resuscitandum admoto; ne forsan hæc partium conditionem aliam ostenderent, quam vera causa proxima eandem effecerat; & quidem primo demersi, deinde laqueo suspensi canis. Ex Suspensi contemplatione anatomica cum dubium minime solveretur, prudentiore cautione suspensus alius est, qui demum Aëris in pulmone defectu, Suspensos mori ostendens, omnem hæsitationem sustulit. Experimenta septem quæ doceant, confirmentque tam Suspensi, quam Submersi, mortem Peripneumonicam esse, deesseque universa apoplexiæ signa; etiamsi Caput, ne qua aliunde mutatio contingeret partium, primum lustraretur. §. III. *Ex omnibus hisce constitit non requiri, ad mortem Suspensorum, vertebrarum colli, seu fracturam, seu luxationem, sed unicam aëris per glottidem interceptionem; id quod retardatione mortis ab ossea trachæa confirmatur. Conficitur denique, ex omnibus observatis, vera natura mortis in Suspensis, unaque capitur cur in variis varia Cor, Pulmoque, referant. Hæc con-*

confirmat Bonetus. *Auxilia proinde eadem iis, quæ Mersis, præbenda esse ostenditur, eaque occasione physiologica expositio, ad horum auxiliorum intellectum, interponitur. Tandem ad objectionem de duobus canibus petitam, apoplexiam, a Submersione nascentem, innuentibus, quatuor responsa dantur. In XXXVII. Cane demum prima vice ventriculus inventus est plurima turgens aqua.*

§. I.

Constat itaque, nostram ad exsuscitandos Demersos institutam Methodum, quemadmodum antiquorum recentiumque calculo probata fuerat, ita quoque universam Medicinam consentientem in Suspensis habere.

Verum cum ab una parte conatus plerosque nostros Mors illuderet, & ab altera parte post numerosa experimenta, de vera mortis Suspensorum & Demersorum causa proxima, al-

altercationes ingeminarent potius, quam componerentur; egoque abunde convictus essem, quam immense multiplicanda experimenta essent, antequam sententiam ex illis tuto quis conficere possit: vacillantem me animo deprehendi, quantumcunque ad rem elucidandam exantlassem laborem. Interim facile capiebam, mihi, qui PROVIDENTIA DIVINA eidem paulatim implicarer magis magisque, ejusdem promovendæ provinciam imponi: eoque magis, quo ex diversa theoria unanimem turbari oportere praxim facile caperem.

Quemadmodum enim superius monui, quantacumque numerarentur, ad sententiam cujusque confirmandam experimenta: ea perpetuo horum fallacia fuerat, ut unius experimento idem repugnaret alterius, ut alter alterius experimentum jugularet, atque

ita

ita quam demum ſublatam diſcordiam ſperaveramus, eandem ſe perpetuantem doleremus. Rem proinde omnem quæ in diſputationem vocari poterat, ad incudem revocandam eſſe cenſui, ut demum evidentius pateret. 1mo Utrum apoplexia Submerſi, an peripneumonia perirent? 2do Harumque utra Suſpenſi? 3^{tio} An noſtri in Submerſorum pulmones aëris inſpirandi labores non gignerent, quos deprehenderamus, diræ peripneumoniæ effectus? 4to An culpa noſtra laryngotomia non ſucceſſiſſet, quod aërem in pulmonem inſpiraſſemus; ſiquidem eandem ad aërem ex plumone exantlandum inſtituendam eſſe, *Dethardingio*, *Bruherioque*, viſum eſſet? 5to Num facta Laryngotomia ſpumoſa materies apto ad id ſyphone eximenda non foret, ut ejus loco admitti aër poſſet? 6to Qualis & Suſpenſorum

rum

rum & Demerſorum, cum Cerebri, tum Pulmonis, conditio iis in cadaveribus ſit, in quibus nulla reſtaurandi opera, quæ mutare viſcera potuiſſet, admota fuit?

§. II. Itaque canem XXXI. Submerſimus, vita, ut videbatur, privum minutorum ſecundorum duorum ſpatio. Cranio oſſeo ablato, naturalis omnino conſpectus & Duræ Meningis erat, & Piæ, & Ventriculorum. Nihilque ſive lymphæ, ſive cruoris, in encephalo effuſum. Denudatam trachæam mox infra cricoideam Cartilaginem arcte ligavimus, ne quid efflueret. Exemto prudenter pulmone, ligaturam ſolvimus, vidimusque profluentem ex eadem ſpumoſam, ac ſubrubellam materiem; preſſis autem lobis pulmonis ſingulis, vel aquam puram, vel ſanguinem, vel miſtum utrumque. Ex pulmone hujus parvi,

ſenis

ſenis tamen, canis, vix quatuor latos digitos longitudinis habente, uncias liquidi aquoſi duas habuimus.

Lympha autem hæc ſubnigra erat, eoquod moniti ab inclyto Viro *Morgagni* Ep. XIX. atram reddidiſſemus, in quam præcipitanda beſtia eſſet, aquam.

Canem XXXII. Suſpendimus, qui intra minutum ſesquialterum, alvo & urina copioſe redditis, periiſſe viſus, brevi poſt vitæ ſigna conſpicua dedit, convulſione crurum, continuoque per 5 minutorum ſpatium, caudæ, ut canis adulantis, motu. Mortuo nunc habito, Laqueum primo firmavimus ſic, ut neque loco mutari, neque vel minimum laxari poſſet. Sine ullo ad vitam reſtaurandam labore, quemadmodum & in proxime priore, & in plerisque ſequentibus, cranium ilico examinavimus. Ac primo quidem penitus turbabamur in auferendo pri-

mum

mum Pericranio, atque musculis crotaphytidibus, a motu, quem animal edebat, caput utrumque in latus continuo movendo, obnitendoque pedibus singulis suis. Profecto sensilissimæ hujus irritationis effectus restaurationem suspensi, si ejus loco consueta auxilia admota fuissent, plusquam probabilem reddidit. Sedato hoc motu, dum osseum cranium serra dividebatur, ejusdem per sinus longitudinales transitu sanguis profluxit, qui parum turbabat conspectum; eodem vero spongia perfecte deterso, Meningem utramque naturalem invenimus, Ventriculos vacuos, neque præter morem infartos Choroidæos plexus.

Laqueus, ut mox monui, nihil motus, nihilque relaxatus fuerat; attamen, laryngotomia facta, intromittentes stylum subcurvum sursum ver-

ſus, facillime in os & fauces penetravimus, imo ſtylum commode eo, quem laqueus ſtringebat loco, agitavimus. Verane ſenſiſſent, qui tubum aëreum a laqueo non claudi, aërisque proinde commercium non auferri ſuſpenſis, ſtatuminare ſategerant? Quæſitum ſolvent canes ſequentes.

Pulmones in hoc cane neque diſtentos multum, neque admodum inflammatos inveni; quod idem æque in ſuſpenſis quam in ſubmerſis, haud penitus inſolitum fuit.

Suſpicati craſſiorem noſtram chordam in hoc cane fuiſſe, quam ut trachæam recte arctaret, Canem XXXIII. tenuiore laqueo ſuſpendimus. Suſpenſus alvum mox poſuit, urinamque, mortem autem intra ſesquiminutum, quemadmodum prior, ſimulabat. Poſt alterum vero ſesquiminutum, movit ſe in patibulo ſuo validiſſime

diſſime medii quadrantis tempore: capite demum ab adſtantibus valenter in pectus preſſo, vere moriebatur. Firmantes altero modo laqueum, eum in Tabulam reſupinavimus, & per Laryngotomiam experimentum prioris repetituri, relaxatum laqueum ſic invenimus, ut liber denuo aditus aëri per trachæam pateret in pulmones. Mutato igitur conſilio, canem denuo de ſuo patibulo ſuſpendimus, rati, univerſi corporis pondere aſperam arteriam arctius clauſum iri. Id porro ſucceſſit: pendenti laryngotomiam longam facientes, haud ultra ſive ſtylum, ſive aërem tubo inſpiratum, per illaqueati anguſtiam loci promovere potuimus. Magnam hæmorrhagiam laryngotomia aliquando dedit nobis, hæc autem nullam.

Caput mox aggreſſi, loco ſubli-miore ſerram admovimus, ne ſinu

laterales repetito læderemus: quapropter hæmorrhagia nulla adfuit. Meninges naturales ambæ. Vacui singuli ventriculi. Plexus choroidæus naturalis. Turgentes admodum pulmones, quacumque in plaga sauciabantur, sanguinem rivatim copiosumque fuderunt. Turgidum cor utrumque fluido sanguine.

Est animadversio *Cl. Morgagni* Ep. XIX. in iis, qui sani strangulantur, sanguinem fluidum reperiri, minus in his, qui dudum valetudinarii fuerunt. Nos quidem sic plerumque eum deprehendimus; fallere tamen in sanis posset, quorum sanguis est in concretionem pronus, ut vidit *Coiterus*: fallere & in chronicis morbis posse, exemplo brevi patebit.

Canis XXXIV. minutorum quinque spatio submersione visus est mori. Erectus ex aqua educebatur, ne ore quid

quid elaberetur, & donec esset penitus linteamine exsiccatus, ferebatur caput in altum. Meninges cerebri sanissimæ, & vacui ejus ventriculi; longitudinalis autem ac laterales sinus sanguine pleni.

Pulmones turgidi admodum: hos, ligata Trachæa, una cum corde exeminus. In aquam projecti, natarunt. Quod pluries pulmonem, num in aquam subsideret, exploravimus, nemo vituperet, innixus forsan *observationi 14. Opusc. pathol. Viri illustris Halleri, Hist. I.*, aliorumque scriptorum, qua demonstratum est, peripneumonicorum pulmonem, plurimo cruore gravem, non subsidere in aquam: etenim experimenta contraria mihi nota erant; ipseque *Hallerus* loco mox laudato *Hist.* 2. expertus est post funestam peripneumoniam subsedisse pulmonem. Experimentis quoque

Roberti Boilei evictum est, aqua graviorem esse sanguinem, adeoque in hoc viscere adeo cumulari posse, ut id in aquam præcipitet.

Ex Aspera arteria, soluta vinculo, multum spumosi liquidi prodiit, nigri autem admodum, eoquod fæcem ingentis Atramentarii vasis cum aqua commiscuissemus. Ex singula transcissi pulmonis parte aqua nigra abundanter effluxit, una cum copiosis miculis eiusdem atramentariæ fæcis. Ventriculus, quemadmodum in prioribus, sine aqua. Cor dextrum sanguine plurimo, toto fere fluido tumebat, pauco vero sinistrum.

Canis XXXV. eadem atrata in aqua spatio quinque minutorum submersus est, pauca modo signa vitæ post duo minuta priora edens. Erectus semper, ne qua aqua ore effueret, servabatur. In capite, quod pri-

primum lustravimus, Dura & Pia membranæ secundum sanam naturam. Ventriculi cerebri vacui; sinus longitudinalis, ac laterales pleni. Ventriculus, seu Stomachus, vacuus aqua. Pulmones ex rubro nigroque variegati, valde tumuerunt, at in aqua supernatarunt. Copiosam eam atram materiem spumosamque, nec non plurimas fæcis atramenti micas, tam ex aspera arteria, quam ex singulis loborum vulneribus, eduximus. Uterque cordis thalamus fluido sanguine plenus.

Integro adhuc pulmone, tubam syphonis in trachæam immittentes, aquam spumosam evacuare ex eadem, & ex bronchiis, annitebamur; paucam tamen, eamque nigram, micisque nigris inquinatam, educere potuimus. Neque plus habuimus in singulorum Loborum bronchia immissa

tuba ſyphonis: perſciſſis vero lobis, aqua ſpumoſa, ut mox dixi, effluxit abundanter.

Canem XXXVI. modo eodem, quo antepenultimum, ſuſpendimus. Poſt labores ſummos, anxietates, ejulatus, ſpatio ſesqui alterius minuti, alvumque paucam, penitus per alterum ſesquiminutum quievit: eo vero elapſo, valide convelli cepit, ſeque agitare, citra vel minimum tamen ſonitum, caudamque ſuam non blandientis in morem, quemadmodum prior, agitabat, verum eandem in circulum contractam in dorſum flexit, rigidam quidem, ſed digitis noſtris tamen retroagendam. Paulatim quietior caudam relaxavit gradatim, & prorſum quievit, octo elapſis a principio ſuſpenſionis minutis. Juvit ad accelerandam mortem ea capitis poſtici in anteriora preſſio, ut in pectus

os

os incumberet. In patibulo pendenti operationem Bronchotomiæ fecimus, perque oblongum vulnus styli, aërisque experimentum iteravimus; neutro iterum nihil omnino penetrante. Animal tunc, firmato probe laqueo, de patibulo solventes, in mensa supinavimus, jamque non aëre duntaxat, sed etiam stylo sursum per vulnus trachææ ducto, facile penetravimus, ipsamque spumosam materiem flando per vulnus in os copiosam pepulimus. Suspenso denuo, transitus interclusus omnis erat; jacentique postmodum in mensa quoque, si caput in pectus firmaretur.

Meninx utraque cerebri primum examinata, fuit sanissima, & ventriculi ejus vacui.

Pulmones turgidi admodum, ex rubro nigroque variegati, in aqua natantes; quocumque in loco vulnerarentur,

rentur, magnam copiam profudere fluidi cruoris. Uterque Cordis ventriculus copioſo fluidoque ſanguine turgidus fuit. Hucusque in ſuſpenſis canibus videramus ſemiclauſas palpebras, in hoc vero cane apertiſſimas, pupillas autem adeo ingentes, ut vix quidquam de Iride conſpiceretur. Liceat hic cum *Morgagno* advertere quam parum vere a *Garmanno Lib. de Mirac. Mort. I. tit.* 5. §. 7. dictum ſit: „ Omnes violenta morte „ extinctos oculos obtinere palpebris „ tectos. " Duo exempla *Morgagnus* habet ſemiclauſorum, unum apertorum turgentiumque oculorum: in hoc cane, ut patet, & oculi apertiſſimi fuere, & pupillæ ampliſſimæ.

Canem XXXVII. Submerſimus in atrata aqua, viventem tamdiu, eademque phænomena exhibentem, quam proxime prior. Hac occaſione

nota-

notabamus ſonitum vocis Submerſorum canum nobis nunquam perceptum fuiſſe, Suſpenſorum autem ſemper, magnumque ejulatum. Aqua ilico vocem ſuffocat; laqueus necdum, niſi demum omnem in Trachæa claudat capacitatem. Erecto capite eductus ex aqua flumen veluti aquarum juxta corpus demiſit, quod inverſo cane pro ea aqua impoſuiſſet incautis, quæ ex ore ac naribus ipſis videretur effluxiſſe. Utraque membrana, ventriculi, ſubſtantia cerebri, omnia ſaniſſima. Seri nonnihil inter duas Membranas. Pulmo tumore, ac humoris rubri, atri, ſpumoſique profluvio, ut in præcedentibus. Sanguinem fluidum cor dextrum abundanter habuit, ſiniſtrum tribus quartis partibus minus.

Hic primus Canis, qui ventriculum aqua plurima plenum habuit.

En

En iterum non contemnendam experimentorum seriem, ad veram mortis causam in utroque hoc violento genere mortis elucidandam! Licebit, quemadmodum ad priora fecimus, ad hæc quoque animadversiones nonnullas adjungere.

Primo loco advertimus Suspensorum æque ac Submersorum cerebrum, quoad ejus ipsam, quam vocant, substantiam, ventriculos, sinus, meningesque, ipsam plerumque referre sanitatem. Unde si utrorumque Cadavera leguntur nonnunquam arterias venasque multo sanguine infartas, repletosque eodem ventriculos habuisse, id quidem ab antiqua aut Cephalæa, aut Hemicrania, consimilive Diathesi, accidere posse, quemadmodum historia horum morborum, anatome confirmata, abunde docet, statuamus opor-

oportet; minime vero hanc esse legem consuetam.

Secundo loco clare intelligimus mortem Suspensorum a luxatis fractisque colli vertebris non fieri: etenim validius coagmentatæ Vertebræ sunt, solidioraque ipsorum corpora, quam ut id frequenter contingere posset; modo carie semiexesæ non essent, ut non esse in plerisque certum est. Præterea qui hæc statuerunt, id ex Carnificis facto cum pedibus suis in jugulum furis insultu sic autumarunt; haud scite tamen; non enim causam mortis universalem ex eo explicare debuissent, quod nonnullis in Regionibus fit, sed ex eo quod ubique: ilico enim claudicat expositio iis, apud quos hujusmodi carnificina insultatio consuetudinis non est. Tandem nulli Bestiarum nostrarum talem mortis

cau-

causam adfuisse, colli pertractatio, forma, longitudoque, probarunt.

Tertio loco, ne alias aliorum rationes de interceptis colli nervis commemorem, a quibus nunquam & talis mors, & tam propera, ut clare a celeberrimo *Morgagni* evictum est, orietur; per experimenta nostra demonstratum est trachæam a laqueo omnino claudi. Indubiam porro cum cunctis respirantibus animalibus mortem ob id insequi oportere sciamus, quid ultra explicandi rationes compellemus aliunde? Itaque moriuntur defectu aëris ad respirationem necessarii, quem defectum laqueus, omnem per glottidem aëris transitum tollens, demonstrat, & ad quod cum pendentis corporis pondus, tum menti in pectus pressio, plurimum facit: perinde ac fœtus recens natus observatus est respirare non posse, capite in pectus,

qui

qui ejus in utero ſitus fuerat, prono; cui dum caput attolleretur, commoda reſpiratio obſervabatur. Sic *Petrus Idema* pag. 12. contra *Bernardum Idema*. Annon hinc ratio capitur cur *Smetii* homo non moreretur Suſpenſus?
„ Is qui diu ſuſpenſus *Bononiæ* jacuit,
„ vivus inventus eſt, quod Aſperam
„ arteriam non cartilagineam, ſed
„ oſſeam haberet. Hoc nos & ab
„ aliis accepimus. " *Cardanus Libr.* 2. *tr.* 2. *contr.* 7. „ Conſtat quendam
„ bis ſuſpenſum ſervatum miraculi
„ ſpecie: inde cum tertio judicis ſo-
„ lertia periiſſet, inventam oſſeam
„ aſperam arteriam. " Vide *Boneti Sepulcretum Tom. ult. pag.* 553. Profecto ſi a compreſſa medulla ſpinali, fractis luxatisve vertebris, morerentur ſuſpenſi, oſſea trachæa eum a morte non vindicaſſet.

Pro-

Propter hanc demonstratam caussam, moriuntur suspensi compressione in sanguinea vasa, facta ab aëre retento, eoque hic rarefacto: moriuntur a sanguinis in pulmonalibus vasis quiete; ita quidem ut antequam multum rarescat bronchiorum aër, sanguis adhuc transeat de pulmonali arteria in venas, indeque in Cor: sed quia ab una parte, carotidibus e laqueo pressis, vertebrales arteriæ eum omnem, quem sinistrum Cor in Aortam pellit, cruorem transmittere, capereque non possint, cordis sinistri cavum oppletum sanguine manet; & quia ab altera parte plus sanguinis in Cor dextrum immittitur, quam emittere per arteriæ pulmonalis transmittereque fines potest, etiam & id cruore opplebitur. Hac de causa natum arbitror, cur in suspensis, submersisque, utrumque thalamum cordis cruore refer-

fertiſſimum ſæpius deprehenderimus. Sin autem vel quod animal inter primas ſuſpendii anxietates, necdum complanata integre trachæa, vehementius inſpirando plus dein aëris intercepti gerat, citius profecto ille majore cum copia, tum rarefactione, ſic arteriæ tam pulmonalis, quam bronchialis fines comprimet, ut in Cor ſiniſtrum parum modo transmittatur, ſed inter fines arteriarum, dextrumque cordis cavum, ſtet cruor omnis. Quapropter etiam aliquando multum ſanguinis in dextro cordis thalamo, parum in ſiniſtro, invenimus. Sic quidem, ut a citiore, tardioreve finium arterioſorum compreſſione, naſci hæc differentia videatur.

Concordant cum noſtris & aliorum obſervata. *Med. ſeptentr. Libr.* 8. *pag.* 630. *Bonetus* refert anatomen ſuſpenſi hominis, per omnia accurate

deſcriptam; „ cujus pulmo diſtentus „ fuerat, implensque thoracem to- „ tum, hic ſpumoſus atque fungo- „ ſus, ibi marmoris inſtar variegatus. „ Cordis uterque ventriculus ſangui- „ ne grumoſo plenus. In cerebro „ nihil extraordinarii, ac ventriculi „ collapſi. Ut ovum ovo conſimilis hæc ſuſpenſi hominis Anatome eſt no- ſtræ brutorum. Quoad ſolum pul- monem *Bartholinus* eadem invenit, *Cent.* I. *Hiſt.* 32. „ In ſtrangulato inveni „ pulmones grandes, variegatos, „ ceruleos, rubore interſperſo, mar- „ moris inſtar, leves & ſpongioſos, „ ſanguine ſpumoſo tam plenos, ut „ non tantum externæ venæ tumi- „ dæ in membrana apparerent, ſed „ in diſſectione Cordis demonſtran- „ tem me fere impedirent. Et *Cent.* IV. *Hiſt.* 6. „ Virile cadaver hominis „ ſæviſſimi ſtrangulatum, a me diſſe-

„ ctum

„ ctum eſt anno 1656. Fiſtula pulmo-
„ nalis ſpuma copioſa impleta erat ex
„ ſtrangulatione.

Quarto loco, Cordis atque cerebri ſimilitudo in anatome hominum, ſive laqueo, ſive unda, enectorum, demonſtrata aliquoties ab aliis, inque canibus noſtris multoties confirmata, eo me facile movet, ut haud plane diſſimilem mortis utriusque cauſam eſſe cenſeam, ſedemque profecto eandem. Quid moleſtiarum laqueus in priorum pulmonibus cum novi aëris defectu, tum præſentis vitio, creet, mox intelleximus: quid vero malorum Aqua in pulmones poſteriorum inferat, hoc potiſſimum eſſe videtur, quod mox deorſum premat aërem ibi præſentem, quod motu pulmonis, qui adhuc ſupereſt, cum aëre commiſceatur, commiſtione hac ſpumoſam materiem conficiat, ſuaque gravitate

atque mole, tum & commisti aëris rarefactione, omnem mox sistat cruoris circumitionem in pulmone, cujus venæ, si a Frigore primo aquæ constringantur, plurimum sanguinem ad Cor sinistrum determinant. Si nunc frigus aquæ externo in corpore, in superficie, inquam, cujus amplitudo quindecim quadratorum pedum, per epithelium, epidermidaque omnem, esse censetur, cuncta capillaria vasa arctet & claudat, cor sinistrum se suo abundante cruore ægerrime evacuare poterit; præsertim si a subitaneo atque universali frigore, nec non a terrore, quo fere omnis, qui præcipitatur in aquam, afficiatur necesse est, æque interna vasa, quam externa, vehementer constringantur. Unde intelligitur, idem sinistrum Cor copioso cruore repleri debere: uti quoque Cor dextrum ab adventante sanguine

guine per Cavas venas in ſinum ſuum, & a ſanguinis in arteriis pulmonalibus mora, obruatur neceſſe eſt. Non erit autem ſingulorum thalamorum eadem perpetuo plenitudo. Si enim plane aut ebrius homo, aut deſperabundus, merſit ſeſe, hic terrore vix affectus, minorem univerſo in corpore arteriarum coarctationem patietur; uti neque ſi viribus ſolito valentioribus cordis cavum alterum præ altero eſt; nec ſi aqua alio, quam alio tempore, gelidior eſt; neque etiam ſi aut homo, aut canis, frequenti natatione, aut ſaltem frequenti inſignique aëris mutatione, frigori ſic aſſuefecit ſe, ut minus ab eodem affici ſoleat.

Cur tamen Merſorum pulmones non raro minus rubri, minusque repleti ſanguine, quam Patibulatorum? Copiam minorem admittunt demerſorum pulmones, frigore veluti ſubito

arterias congelante; gravanteque pondere aquæ validius premuntur. Dum e contrario patibulati pulmo primo momento, priusquam multum rarefiat aër, copiam magnam a dextro corde accipit, aliquantumque promovet, donec demum a datis ſupra cauſis nihil ultra per fines arterioſos transmittere poſſit.

Contra: exploſæ ſuperius, & jure merito quidem, quædam de morte ſuſpenſorum ſententiæ fuere, ejusmodi innixæ argumentis, quæ in nonnullis duntaxat caſibus locum haberent, & non in ſingulis; quæque proinde id explicare, quod in ſingulis fit, minime poſſent. Porro vitio pari laborare & hæc ſententia apparet, quæ exponendo quæſtionem per ea canum phænomena, quorum pulmones aquam haberent, eandem minime ſolvit in canibus, quorum in pulmone inventa aqua non ſit.

Reſp.

Reſp. 1mo· Saltem canum omnium, exceptis modo duobus, pulmonem aquam habuiſſe. 2do Duos canes, in quibus fefellit experimentum, potuiſſe facile inter violentas pectoris agitationes, omnemque in modum formæ ejusdem mutationes, aquam expuliſſe per Trachæam; quemadmodum ſæpe notavimus, inter ipſa revocandæ vitæ experimenta, ore ac naribus ſpumoſam ſtillaſſe, rubellamque materiem. Commentum enim eſt ſua Epiglottide ſpasmodice ſemper glottidem claudi, ipſiusque rimam conſtringi: nam in omnium hominum, beſtiarumque faucibus, & percepimus vidimusque ſurrectam Epiglottidem, & tubum ad inſpirandum plerumque ſe in Trachæam commode inſinuantem. 3^tio Supra jam meminimus viarum illarum, quibus a pulmonis vaſis in ejus cavum, & ex cavo aëreo in

vaſa, tranſitus fiat; unde abſorberi aliquando poſſit. 4to Per recentiora experimenta, quæ brevi enarrabo, conſtitit aquam ipſam in pulmone demonſtrari non potuiſſe, & nihilominus in eo fuiſſe luce meridiana clarius aliunde patere.

CAPUT VI.

De prima noſtra Anatome demerſi hominis, hominisque ſuſpenſi: de captis novis brutorum experimentis, ad ea hominum examinanda, & illuſtranda: deque certa experientia deglutitæ aquæ.

§. I. *Fruſtraneus conatus revocandi vitam ſubmerſi. Præter conſueta præſidia etiam adhibitus ei Sulphuris fumus fuit, & cur? Anatome. Dubia cum experimentis creſcunt. Unde, quamvis ſententia de*

de Suspensorum, Demersorumque, non Apoplectica, sed Peripneumonica morte, certa per priora visa esset: inflammatum tamen duorum canum Encephalum, duorum expers aqua Pulmo, ultimique inundatus ventriculus aqua, ad nova tentamina compulerunt Autorem. §. II. *In novo tentamine primum videbatur experimentum, de inspirata pulmonibus aqua, prorsum deficere; deinde vero argumento adeo palmario eodem in cane demonstrabatur adesse, ut in quibus duobus priorum canum defuisse visa esset, jam in vasa pulmonis sese penetrasse credenda sit. Jam secundo demonstratur Aqua in ventriculum transiisse, ex eoque in Intestinorum tractum. In altero tentamine non hoc posterius confirmabatur sed illud prius: tentamento vero tertio utrumque luculenter. Quarto tandem constitit letale Cani, alioqui resurrecturo, atramentum fuisse cum aqua inspiratum. Inter signa absolutæ mortis non esse opacam Corneam ponendam, exemplo constitit.* §. III. *Irrita tentamina vitam revocandi suspensi hominis. Anatome,*

Neque Apoplexiæ is, neque Peripneumoniæ, ſigna evidentia habuit, ob primo imperfectum ſuſpendium, ſecundo ob tentamina, quæ ad vitam evocandam inſtituta, interiora mutaverint neceſſe eſt. Quod aderat tamen, peripneumonicum magis, quom apoplecticum redolebat.

§. I.

Interea dum novis his experimentis vetera confirmari lætabamur, contigit 9. Dec. ut juſſu Magiſtratus in civitatem, inque Noſocomium, juvenem afferrent 16. vel 17. annorum ut videbatur, in *Danubio* ſubmerſum. Quamdiu ſubmerſus ille fuiſſet, quove loco & diſtantia ab urbe inventus, aſſequi ab illis, qui portarunt eum, non potui: ajebant modo corpus a nonnullis, idque natans, inventum fuiſſe; ſeque ad nos deferre juſſos. Hi

ve-

vero, cum urbs fere tota transeunda esset, antequam ad nosocomium meum venirent, fecerant stationes, eleemosynas a confluente populo extorquentes, easque, ut ferebant, in defuncti erogandas requiem: sic ut tandem in Nosocomium cum Submerso venientes, semiplenum pecunia pileum, quam diversis in stationibus compilaverant, haberent, non minus vero sic tempus auxiliandi differrent.

Submersus oculorum corneam subopacam jam habuit, frigebat autem sic, ut neque frictione, neque ignitabulo, ne tepefaciendus quidem fuerit. Ex nullis venis, sive jugularibus, sive brachialibus, sanguis fluxit; quæ autem guttæ stillabant, æque frigebant, quam corpus totum. Auxilia nostra ordine vario, quemadmodum in prioribus, adhibebantur, prætereaque fumum sulphuris huic in os nares-

que

que determinavimus. * Et quamvis opus inutile præ auxiliorum dilatione exiſtimaremus, iisdem tamen adhibendis horas impendimus quinque.

Facultate nunc gaudens aperiundi Cadavera, quæ ſolis Magiſtratus Miniſtris, ut morte violenta extincta, reſervari ſolebant, ad interiora contemplanda me converti.

Diaphragma altum in pectore ſitum habuit. Hepar ingens, durum, ſubnigrum. Ampliſſimum pulcerrimumque omentum. Tenuium intestinorum, craſſorumque, hinc inde dire inflammatæ portiones. Durus pul-

* Sulphuris fumum anno 1769. repudiaveram, quod triſtes effectus habuiſſe videretur in *Actis N. C.* vol. 7. obſ. 124. (*vid. Tom. XIII. Rat. Med. pag .248.*) jam vero ad adhibendum hunc fumum permovit me *Wepferi* Autoritas, in *Hiſt. Cicutæ aquaticæ* memorantis reſuſcitationem ejus ope feminæ, cui in ſyncope hyſterica, cum reſpiratione penitus ablata, omnia reſuſcitandi præſidia fruſtra applicuerat.

pulmo uterque, tumidus, purpureusque; ſic vero utrinque pleuræ, inferiusque Diaphragmati, annexus, ut nonniſi longo, tædioſoque labore, ne vulnere experimentum illuderetur, ſeparandus fuerit. Neque per omnem hanc operam vel hilum flacceſcebat. Lobi perſciſſi pauculum ſeri ſpumoſi, atque ſubrubelli, ſudabant, nihil flacceſcentes. In tomos diviſi poſtmodum, ſudabant ut prius, de mole autem, ſoliditateque, nihil remittebant; ſicque lobi denique omnes. Manu deinde partes ſingulas comprimentes, Lymphæ ſpumoſæ ac ſubrubellæ libram mediam expreſſimus. Notabilem hanc copiam eſſe exiſtimo. Non movebo hic quæſtionem de Aſperæ arteriæ, Bronchiorum, Veſicularumque capacitate, cum illuſtri *Hallero El. Ph. Tom. III. p.* 200. incertiſſimam hanc omnino menſuram eſſe ratus: copiam

li-

liquidi expressi magnam in parvo hoc corpore fuisse censeo, majorem futuram procul dubio, si non manu, sed prælo, facta expressio fuisset: unctiusculo quippe hoc humore mox e manibus prolabitur pulmo. Aquæ enim gluten admistum arbitror, glandularumque liquorem, quas pulcre demonstravit in Trachæa & Bronchiis *Morgagni Adv. Anat. Libr. I. Tab. 2. fig. I.* nec non aërem, qui irretitus intra absorptam seu inspiratam aquam, materiem hanc adeo spumosam reddidit; ipsamque hanc cum spumosam, tum spissam, ac fere sebaceam materiem, sic vesiculas & vasa obstruxisse, ut ex pulmone in tomos diviso, pauculum modo efflueret.

Ex Physiologia quippe compertum est, ut alia de causa jam monui, ex Arteria, & Vena pulmonalibus, viam in Bronchia esse, atque ex Bronchiis

in

in illas, in Venam autem maxime; unde harum viarum plures alte oppilari poſſe veroſimile fit.

Ventriculus in hoc homine aqua caruit.

§. II. Confirmatam iterum hoc caſu ſententiam noſtram lætabamur, haud vero necdum omnes difficultates, quas offenderamus, elucidatas vidimus: unde antequam certi quid ſtatuere auderemus, nonnulla experimenta præmittenda eſſe, nonnullaque iteranda, decrevimus.

Parata vaſto in dolio aqua, nigra præ atramento abundanti, atramentique copioſa fæce turbida, Canem XXXVIII. merſi, & intra breviſſimum tempus, (Horologium non attenderam) mortuum apparentem, integra hora in aqua reliqui, viſurus an diverſum quid ab illis, quos aqua protinus extuleram, obſervandum daret.

Ela-

Elatus tunc ex aqua, capite ſemper ſublimi, canis, qui ex albo olim flavebat, nunc æthiops, flumen æquæ inferiore de corpore fundebat, idque diu; quæ ſane aqua, ut jam tertio moneam, quemadmodum pilis Bruti, ita indumentis hominis abſorpta, juxtaque os naſumque humi pendulum, defluens, rivum aquæ ex Ventriculo & Pulmone profluentem mentiri ſolet. Citra vel minima reſtaurandi molimina anatomen mox aggreſſi ſumus.

Totus pulmo & turgidus fuit, & latis maculis partim rubris, partim purpureis, nigrisque, variegatus. Ligata Aſpera arteria, eum totum exemimus, quo cum propius, tum clarius, phænomena contueremur. Soluto arcto Trachææ vinculo, *vacuam & hanc reperiebamus, & cunctos majores ejus, per ſingulos lobos, ramos.* Parum ſpumoſi liquidi ex vulneratis lobis ſtil-

ſtillavit. *Cum deficientibus ſignis præſentis aquæ, hanc tamen & Trachæam, & Bronchia majora minoraque ſubiiſſe, fæx atramenti copioſa demonſtrabat.* Nec in trochiſcos diviſi lobi collabebantur, niſi compreſſi; compreſſi autem quid rubelli ſpumoſique dabant. Cordis cava onuſta grumoſo ſanguine, minus dextro ſiniſtrum.

In Ventriculo aqua inventa eſt atramento profunde tincta, plenaque atramenti fæcibus: Duodenum autem, & Inteſtinum, jejunum, iisdem atramenti fæcibus multo erant repletiora.

In cerebro Membranæ naturales. Sinus longitudinalis vacuus, vacui & laterales. Inanes ventriculi ſuperiores. Plexus Choroidei nec turgidi, nec ſolito rubicundiores.

Canis XXXIX. mediæ magnitudinis, in minutis ſecundis duobus mortuus, ubi extrahebatur ex aqua atri-

da, viſus, in eandem iterato præceps datus, ac per horam cum tribus quadrantibus relictus in illa fuit. Inde poſtmodum tractus, flexilis per omnia erat. Sine ulla operatione anatome. Turgidi pulmones, prioribus tamen minus aut rubri, aut purpurei. Aſpera arteria tota plena ſpuma alba, vix rubella, ut & cuncti majores ejusdem per omnes lobos rami, præcipue autem atramenti fæcibus. Lobi transſciſſi ſponte fuderunt rubelli liquidi uncias duas. Ex ſingulo autem loborum vulnere æque fæces atræ prodierunt, quam liquor rubellus. Ex utroque cordis cavo multus eductus eſt ſanguis, grumoſusque ille. Omentum perquam inflammatum.

Ventriculus cibis repletus nihil aquæ exhibuit, nec Duodenum. Atramenti fæces in illis nullæ.

Ni-

Nihil non naturale in Encephalo. In utroque ſuperiore ventriculo ſeri nonnihil erat, & forte paulo coloratiores Choroidei plexus; quod tamen neutrum quis præternaturale vocet.

Canem XL. majorem, qui unico minuto obiiſſe videbatur, in Scapha aquæ reliquimus bihorio, erecto capite, ne efflueret quidquam. *In Ventriculo, Duodeno, Jejuno, copioſiſſima aqua nigra, cum copioſiſſimis grumis atramenti.* In trachæa nihil liquidi ſpumoſi, turgidus autem valde pulmo, ex quo, ubique perſciſſo, rivatim ſponteque effluxere liquidi rubelli unc. tres una cum copioſa fœce atramenti. In utroque cavo cordis, in ſiniſtro autem copioſior, grumoſus ſanguis. Dura mater paulo forte rubicundior, Ventriculi vacui, vacuus Sinus longitudinalis, fere vacui Laterales.

Canis XLI. nos diutius exercuit. mediocris is molis erat, non juvenis tamen. Minuto in atra aqua detentus, cum sua sporta levabatur, minutoque tenebatur, postquam dum vitæ signa quædam edi cepta essent, per aliud minutum submergebatur, cujus in fine sonum, veluti vomiturus, edebat, mox tamen quietus.

In mensa tunc locatus nonnihil movebat se, Corneam opacari ceptam habebat, obscurumque ostendit costarum motum, & quendam sonitum. Ad hæc detersimus illum, & pannis fumo aromatico penetratis diligenter fricuimus. Edidit tunc veluti latratus conamina. Irritabantur interea nares faucesque spiritu salis ammoniaci. Frictione continuante per duodecim minuta, murmurare cepit, erexit se in genua, positus autem ut in integros pedes insisteret, in genua recidit.

cidit. Minutis quinque poſt viginti, ab elatione ex aqua elapſis, ſecta eſt vena jugularis ſiniſtra, ex qua ſeptem minutorum ſpatio unciæ duæ cum dimidia ſanguinis effluxerunt. Putabamus ſufficere pro mole canis. Sanguis frigidus erat, dum extillantem plures examinabamus, fluidus nihilominus, dieque ſequenti ſerum ſeparaſſe, inſulamque formaſſe, ſanguinis boni more, apparuit.

Paulatim a Venæ ſectione cepit caput plus dimittere. Dum aqua calida cum paucis ſpiritus vini camphorati guttis ipſi in guttur injiceretur, Chirurgum momordit. Vellicatus extremo caudæ, ter quaterque vociferabatur, ſeque erexit bis, in pedes inſtitit, fugam meditari viſus eſt, & cornea omnino pellucida, oculi nitebant. In pavimentum locatus, ſpatio quinque pedum inde ad forna-

cem cucurrit, murmurans perpetuo. Tunc posuimus ad calidiorem fornacis faciem, & calidis pannis circumvolvimus, ita tamen ut in spatiosissimo Conclavi nocere respirationi nimius aëris calor non posset. Prope trihorio ibi jacuit. Intereaque temporis jus Carnium calens cum tantillo spiritus vini Camphorati injectum ipsi in fauces est, cum lingere, etiam jus purum, recusaret. Injecti juris pars deglutita est, pars potior ore elapsa. Aërem nostrum ipsi pluries tubo in fauces inspiravimus, cum respiraret anhelus. Enema injectum juris carnis cum eodem spiritu. Respiratio clamosa fiebat, & ea inæqualitate, ut in silentio inspirationis *sex* numeraremus, in expiratione vero sonora, & clamosa, *novem* aut *decem*. Hocque diu observabatur. At vero cum ibi udas cum dimidia horas jacuisset, respi-

ſpiratio debilis obſervabatur tacitaque, donec elapſis a ſubmerſione tribus cum dimidio horis exſpiraret.

Hora a morte elapſa aperuimus illum. Pulmones parum tumidi, ſed nigerrimi fere ubique erant. Perſciſſis iis conſtabat omnem hanc nigritudinem ab impacto ſanguine eſſe, & a cauſa mox explicanda, quibus non pulmonem, ſed induratum jecur potius referret. In Aſpera arteria, probe ligata antequam eximeretur, copioſa materies ſpumoſa inerat, ab ipſa glottide ad extrema bronchia usque. Fæcum autem atramenti in toto hoc ſpatio aëreo copiam adeo enormem in nullo Canum noſtrorum hucusque inveneramus, ita ut non in perſciſſis aëreis vaſis duntaxat, ſed in transſectis ſingulis lobis eandem copioſam reperiremus, educeremusque. Nonne hinc nigredinis profundioris,

consistentiæque visceris, adaucta caussa capitur? An noxia hæc venenataque fæx, usque in visceris penetrale intrusa, mortis in eo, alioquin resurrecturo, sufficiens causa non fuit? Ex persectis plagis liquor rubellus effluxit, quam in præcedentibus, parcior. Transscissisque partibus non concidebat tumida moles, nisi comprimeretur.

Cordis ventriculi, dexter plus sinistro, sanguinem grumosum habebant.

Oesophagus & ventriculus aëre multum inflati erant: an ab inspiratione nostra? In ventriculo vivus vermis teres inventus, qui ad attactum contraxit se in formam perfectam Cochleæ, ac si limacem domiportam videres. Inerat ventriculo variorum ciborum ingens farrago, siccorum admodum; nam & injecta nostra

ore

ore effluxerant, & quæ pauca deglutita erant, in ſiccam hanc maſſam videbantur abſorpta. Submerſionis aquam non deglutiiſſe Canem fæcis atræ abſentia arguere videtur.

In Encephalo Dura mater rubicundior paulo, quam in canibus prioribus. Nonnihil ſanguinis in Sinu longitudinali, multum ejus in ſinibus lateralibus deprehendimus. Ventriculi ſuperiores vacui. Plexus Choroidei, Pia meninx, Cerebri ſubſtantia, bona.

Materies in pulmone inventa, ex eoque perſciſſo deflua, curioſitatem noſtram excitabat, cognoſcendique quid demum eſſet, deſiderium; præcipue cum in ſubmerſi juvenis pulmone examen tale inſtituiſſemus. Explicabo autem potius hoc poſt ſequentem caſum, in quo tentamen tertio fecimus; unaque poſt hunc caſum concluſiones

transferam, quas tot experimenta, nunc expoſita, formare nos jubent.

§. III. Miles ut videbatur quinquagenarius, minime, ut perhibent, Melancholicus, qui die 28. Dec. 1771. ad quintam matutinam quosdam de compacto expergefecerat, ad ſextam laqueo ſuſpenſus invenitur, nulla ultra præbens ſigna vitæ. Itaque ſuſpenſus relinquitur. Hora 7. intrat ad rumorem Chirurgus, qui ſuſpenſum videt, abitque. Itur ad judicem tandem, intereaque prope nonam de factitio patibulo ſolvitur, & autoritate Magiſtratus ad Noſocomium meum defertur hora decima cum dimidia. Licet corpus trihorio pependiſſet, & quatuor minimum horæ cum dimidia a ceſſantibus vitæ ſignis elapſæ eſſent, operam tamen adhibendam eſſe cenſui; præſertim quod ex flavo pallidam faciem cernerem, nec tumida labia,

bia, nec oculos prominentes, & totum corpus, pedibus exceptis, adhuc moderate calidum. Calor atmoſphæræ eo tempore fere 40. gr. in thermometro Fahrenheitiano erat. Repoſito itaque corpore in lecto probe calefacto, quamvis nondum frigidum eſſet, vena ſecta in brachio dextro fuit, e qua ſanguis cum impetu exiliit, ſed mox ſubſtitit. Interea fumoſum tabaci Clyſma immittebatur, ventrisque ac thoracis eo modo frictio fiebat, ut Viſcera abdominis continuo attollerentur; quo Diaphragma irritatum, una cum Coſtis & motis, & forma ſituque mutatis, excitari in reſpirationem poſſet. Hic labor decem minutorum fuit. Vix fluente ſanguine de brachii vena, jugularem dextram, pulcre conſpicuam, tutudimus, at ſanguinis vix mediam unciam ſtillando obtinuimus. Quapropter ape-

aperuimus jugularem finiſtram, e qua quidem cum ſaltu prodiit primo momento ſanguis, mox vero ſubſtitit; repetente interim ſuapte ſponte dextræ jugularis fluxu, ſic ut brevi duas cum dimidia uncias haberemus ſanguinis ſenſu tepentis. Fluxu tandem utrinque ceſſante, ad alia tentamina nos convertimus, in quibus dum movere corpus perpetuo oportebat, utraque jugularis abundantius fluxit; ita ut, quantum conjectura aſſequi poteramus, media ſanguinis libra ex utraque effluxerit.

In Os, atque Pulmones, aërem inſpirare, injicereque in gulam calidum, ſtimulantemque liquorem, animus erat, at vero validiſſimus, atque plane inſuperabilis maxillæ tetanus omnem oris aperturam prohibuit; Cochlea enim diducere maxillam annisi, dentes potius extrudebamus,

fran-

frangebamusque, quam ut vel hilum maxilla moveretur, minimumve concederet hiatum. Itaque ore ori admoto, aër ſpatio octo minutorum inſpiratus fuit: injectus autem, quoad ejus fieri poſſet, in fauces liquor, reſiliit, elapſusque omnis eſt. Repetitum clysma fumoſum. Sex ampla emplaſtra, dicta veſicantia, ad ſuras, femora, humerosque utrosque, aceto primum probe frictos, admovebantur, & quo agerent, calente cataplasmate craſſe circumdabantur; nihil vero intra trihorium egiſſe compertum fuit. Sæpius nares irritatæ faucesque ſunt ſpiritu ſalis ammoniaci, eodemque tempore ventris & pectoris repetita agitatio, & iteratum tertio fumi tabaci Clysma.

Poſt horas quatuor cum dimidia laborum, Cadaver aperui, præſentibus iis, quorum eſt Magiſtratus nomine

mine eorum Cadavera lustrare, quos mors violenta rapuit. Aperto abdomine apparuit Jecinoris ea amplitudo, ut latus utrumque expleret, ac contingeret fere umbilicum: durities ejus tanta, ut cum post lustratum cranium pluribus in locis illud transscinderemus, per crassam cartilaginem penetrare videremur: colore purpureum fuit: intestinorum, præcipue tenuium, non modica pars ex fusco purpurea fuit.

Ne qua autem hæmorrhagia cerebri turbaret adspectum, mox aggressi illud sumus. Dura Mater paulo coloratior solito: Pia autem plurimum infarta cruore, ubique quidem, maxime vero ad medios posterioresque cerebri lobos. Sub Arachnoidea tunica serum subalbidum, barbare gelatinosum, non paucum, effusum videbatur, membrana autem pertusa, limpi-

pidum omnino erat; præ incipiente Membranæ opacitate tantum turbidum apparens. Sinus longitudinalis vacuus omnino, & pene vacui Laterales. Inanes & ſuperiores ventriculi, tertius, quartusque. Ipſa autem cerebri moles transverſim diviſa ſolito pluribus ſcatebat rubris intercurrentibus vaſis.

Aſpera arteria, bronchiaque, quavis ſpuma carebant. Expanſus pulmo fuit, nec ad omnem noſtram contrectationem ſubſedit. Cultro diviſus ubicumque fuit, ſanguinem potius, quam ſpumam fudit. Nulla vero ejus cum pleura cohæſio; quæ, ut obiter hoc loco moneam, hominibus ita familiaris, in nullo canum noſtrorum deprehenſa fuit.

Cor dextrum vacuum fuit, licet exemturi pulmonem, venam cavam probe colligaſſemus: ſiniſtrum paucu-

lum

lum grumosi partim, partim fluidi sanguinis, habuit.

Sanguis venis exceptus tenuis fuit, neque ad 18. postmodum horam concrevit: divisus tantummodo fuit in serum utcumque tenax, turbidum nonnihil, subalbidumque, & rubrum in fundo tenuemque aquæ rubræ similem liquorem. Ruber hic liquor mundo in cochleari prunis ardentibus impositus, in nigrescentem crassamque massam, ac si Conservam, aut *Andromachi Theriacam* videres, abibat; serum autem in materiem scissilem, albuminis ovi in modum. Jamque bis, semel in Submerso homine, alia vice in submerso cane, expressum ex pulmone transcisso liquidum spumosum, atque rubellum, ad ignem scrutati, crassam ejusmodi conservam obtinuimus.

Qua-

Quacumque autem parte incideretur pulmo, parva tubercula habuit, concreto fere pure plena: sic ut homo diu pravum hepar habuerit, pravosque pulmones.

Sanguis jugularium venarum in causa quidem esse potuit, ut sinus cerebri vacuarentur, & signa Apoplexiæ validiora deprehensa non fuerint. Si a Cephalæa Membrana pia sanguine non turgebat dudum, ipsa hæc Pia mater, una cum evidentioribus, copiosioribusque sanguineis per cerebri massam vasis, nonnihil Apoplexiæ ostendit. Pulmo cultro divisus sanguinem fudit quidem, spumosamque materiem, haud vero cum ea copia sive sanguinis, sive materiei spumosæ, comparandam, quam toties in gravi Peripneumonia, maximeque in suspensis canibus, deprehenderamus.

Causa obscura non est. Desperabundus homo suspenderat se subligaculo cruris, ex lino contexto, adeoqne forti, sed pondere corporis sic extenuato, ut tenuem chordam referret, quæ hinc inde excoriaverat collum, nec signa sui, ultra duas lineas lata, reliquerat. Laqueus hic neque Asperam arteriam, neque cartilaginem sive Cricoideam, sive Scutiformem, sed eam modo plagam, quæ inter hanc, & os hyoidis est, strinxerat; adeoque imperfectius viam aëream interceperat: unde diu pependerit oportet, luctatusque cum morte fuerit, antequam sontem animam efflaret. Forsitan hinc minus gravem Peripneumoniam pectus ostendit, quod tantam habuerit aëris suspensus usuram. Si Suspensi, ut multi volunt, morerentur Apoplectici, ab imperfecto hoc suspendio explicandus foret

gra-

gravioris Apoplexiæ ſignorum defectus; nos vero alia, per experimenta edocti, hanc Piæ Matris ac Cerebri conditionem rectius chronico capitis morbo, cum ceterum tot viſcera inepta eſſent, quam laqueo, tribuimus. Vertebræ colli, earumque ligamenta, integra erant.

CAPUT VII.

De errore ex experimentis. Nonnulla de vulgi more, pedibus ſuſpendendi Submerſos, & in aperto utrimque dolio circumagendi; nec non quædam neceſſaria de Laryngotomia.

§. I. *Errare nos crebro poſſe, quamvis ſolis freti experimentis videamur, evincitur.* §. II. *Examen conſuetudinis vulgi Submerſos pedibus attollendi, quo abſorptam reddant ore Aquam. Laudan-*

da est, etiamsi aqua nunquam deglutita esset; eoquod revocandæ respirationi potenter facere videatur. Viro claro Senaco, *qui, ubi primum omnem aquæ sive deglutitionem, sive inspirationem, ut impossibilem declaraverat, deinde ejus, si etiam deglutita esset, vomitionem subverso corpore minime sequi scripsit, vario argumentorum genere, experimentisque contrariis, respondetur.* §. III. *Serium Examen Laryngotomiæ in Submersis aut instituendæ, aut omittendæ. Eam* Dethardingius *non ad inspirandum aëra laudaverat, verum potius ad eundem una cum spuma evacuandum; ostenditur per Epiglottidis erectionem, in singula demersi sive hominis, sive bruti, gula semper examinatam, & deprehensam, hoc ejus systema falsum esse; illudque ipsum evacuandi tentamen iterato experimento non successisse. Et expertissimo* Weszpremio, *nuperrime hanc operationem revocanti, ostenditur non hanc, sed crudelem institutæ ejusdem Laryngotomiæ methodum, una cum & prægressis, & subsecutis tentamentis, vitam sui nautæ re-*

revocasse. §. IV. *Repetitio quædam eorum, quæ de Suspensis prius dicta.* Harvæi *monitum. Spes successus.*

§. I.

Numerum Experimentorum utcumque idoneum habere me reor, ut de gravi nostra Quæstione paulo nunc certius, fidentiusque, disserere queam. Unde *primum* adverto, ratiocinia nostra ne tunc quidem expertia fallaciæ esse, quando numerosis experimentis innituntur. Profecto autoritate fretus ego *Plateri*, *Wepferi*, *Walschmidii*, *Beckeri*, *Dethardingii*, *Senaci*, aliorumque celebrium Virorum; autoritate, inquam, quæ solis experimentis nata, aucta, firmataque videbatur; Aquam ventriculo Submersorum non hauriri credideram sic, ut *Tomo meo XIII.* idem negare ausus sim; experimentaque haud pauca mea pro-

pria ad hanc ſententiam firmandam non parum poſtea contulerant. Nihilominus Canis meus *trigeſimus & ſeptimus*, eorum, quos aperui, *Vigeſimus*, *Trigeſimus octavus & maxime Quadrageſimus*, me, cum cæteris errantem, veriora docuerunt; non tamen hucusque ſic ut a deglutitis aquis mortem conſequi oportere, didicerimus.

In viginti ac quatuor canibus per nos apertis, viginti & unius nullam aquam ventriculus oſtendit, in tribus autem oſtendit. Aqua ergo in eorum parte octava fuit. An proinde in reliquis aqua non ſubiit ventriculum? Hoc non auſim aſſerere. 1mo Quia in duobus poſterioribus canibus ventriculus nihil omnino turgens, aquam a ſe hauſtam non indicaſſet, niſi eam fæx atra demonſtraſſet. 2do Cum multa atrata aqua ex ventriculo in inteſtinum duodenum, ex eoque in jejunum, perreptaſſet:

fa-

facile contingere potuit, ut aqua copiosior deglutita quidem fuerit, sed, illa jam intra intestina suscepta, ventriculus ab aqua vacuus, aquam a se haustam non esse perperam negarit. Uti quoque *pauca* ventriculi aqua non evincet *paucam* haustam esse; quia cito, ut per nostra experimenta patet, pars multa ejus, quam ventriculus hauserat, transmeare in intestina potest.

§. II. Ventriculi porro aquam admittere coacti, an vulgi morem ideo laudabimus corpora Submersorum, pedibus suspensa, agitandi, quatefaciendi, ac concutiendi, quo potam eandem vomitu evacuent? Sane plerique omnes nunc hunc vulgi morem damnant, & primo quidem quod *damnosus* sit; secundo quod *inutilis*; tertio quod *ridiculus*.

Ad primum dico si *damnosum* hunc morem censeant, eoquod humorum

ad Encephalum determinatione ipſam poſſet Apoplexiam generare, conſiderare quoque oportet haud perraro nos cogi ad damnoſa admittenda, quando quæ inde utilitas ſperatur, id quidquid eſt damni compenſet abunde. Emetici actio violenta ad capitis morbos gignendos apta nata eſt; emeticum tamen dare, urgente alia cauſa, non gravamur. In Phthiſicis debilitatis nihil fere venæ ſectione nocentius eſt: eam tamen imminens vitæ diſcrimen fieri quandoque jubet.

Ad ſecundum dico, non *inutilem* modo non eſſe eam plebis conſuetudinem, ſed utiliſſimam. Etenim motum Abdominis, viſcerumque ejus in thoracem impulſum, quo Diaphragma, quo intercoſtales Muſculi, Coſtæ, earundemque Muſculi, ſopitam vim ſuam revocarent, reſpirationemque reſuſcitarent, hæc agitatio, ſub-

ver-

versique corporis succussio, eo, quo potentior non est, ordine, modoque, efficit. Intestinorum quippe omnium, ventriculi, jecorisque ingentis, pondus non solummodo in Diaphragma, & in Cor gravitat, sed agitat has partes, mutuumque conciliat illis affrictum: sic ut vix videatur par ei alia resuscitandi actio. Vulgi quidem opinioni, de onusto ventriculo aqua, originem debet, quemadmodum & hujus opinionis per multos scriptores factæ explosioni ejusdem debetur omissio; at vero ipsi hi scriptores, haud videntur ad ejusdem in vitalia viscera imperium debite attendisse.

Hinc ad tertiam denominationem, qua *ridiculus* idem mos vulgi appellatur, indirectum jam datum responsum esse censeo: haud enim id ridiculum vocites, quod doceat, ut in primo responso est, ex duobus malis, mi-

nus eligendum esse; quodque, ut alterum responsum habet, auxiliorum præstantissimum esse videatur: sed tanti momenti esse res mihi videtur, ut responsum directum eidem oporteat adornari.

Ridiculum vulgi morem hunc, præter alios, magnæ autoritatis vir *Senacus*, loco antea laudato, contendit; quia per horrendum quoddam, nec raro letiferum, *Parisiensium* Experimentum, in Maleficorum tortura, constat, infusam violente in os aquam neque Asperam arteriam subire, neque faucibus deglutiri absolute posse: quod utrumque, si quandoque submersorum in corpore contigisse deprehenderetur, id contra *Littreum* statuit a morte tantummodo, & in supernatante propter corruptionem cadavere, locum posse habere. At vero hanc explicationem omnia nostra experimenta subvertunt: nostri canes enim

enim & nunquam mortui ſupernatarunt, & fere ſemper Aquam pulmonibus, nonnunquam & ventriculo hauſiſſe reperti ſunt.

Sed addit idem Archiatrorum Comes: „ Neque, ſi hauſiſſent aquam „ ventriculo, eam profecto vulgata „ per pedes ſuſpenſione ore redde„ rent. Dantur qui pedibus in al„ tum ductis, penduloque capite, „ duas abliguriant vini pintas. " Vim muſculorum œſophagæorum ad hæc admiratus, atque obſtupeſcens, „ ſed ſufficit, inquit, in hu„ jus exempli ad merſos applicatio„ ne hoc, quod vini pintæ duæ ſe„ mel in ventriculum admiſſæ, in „ hoc inverſo ſitu evomantur nunquam.

Sed reſpondeo 1mo Demerſorum Corpora inferioribus in altum non ſuſpendi duntaxat, ſed etiam vehementer

ter quatefieri, concuti, adeoque mancam esse, quam hos inter, suosque inversos potatores fecerit, comparationem. Ajo 2do id certum esse, quod hoc in situ Corporis facta concussio subvertat ventriculum. Experitur hoc, quisquis post prandium pedibus nixus in pavimentum diutius inclinat sese, aliquid ibidem dispositurus. Deinde, vir in stagno demersus pag. 28. hac subversi corporis concussione primum aquam ore reddidit, dein alimentorum portionem. Tandem debita habita cautela ne deciperemur, aquam ore naribusque profluam, non modicam, vidimus, ubi animalium, cruribus posterioribus suspensorum, abdominalia viscera in Diaphragma movéremus.

Memorabile exemplum hoc idem confirmans, & utile Practicis, ex Commentariis meis huc transferam. Anno

no 1743. die 2. Novembris Matrona ſenex narrabat mihi, ſe juvenem, una cum Patre ſuo, Juriſconſulto celeberrimo, adfuiſſe præſtantiſſimi apud *Haga Batavos* Medici *Cocq* in ædibus, dum Strenuus Vir militaris conſultaturus eundem acceleret: Medicum, relictis illis, militem in aliud cubiculum duxiſſe, eoque dimiſſo redeuntem, ſibi, ſuoque Patri, quæ ſecum communicaſſet ille, narraſſe. Contigiſſe ſcilicet, ut capeſſens per loca iter, infeſta admodum depeculatoribus, quosdam nummos aureos, *Piſtolen* vocant, deglutiret, eosdem domi facile alvo redditurum ſe ratus: falſum tamen fuiſſe ſe, vehementerque nunc dolere ſæpe, angique, teſtabatur; neque ab his, quorum operam imploraverat, vel hilum levari. Tandem addebat *Cocquius*, Vir, ſiquis alter, religioſiſſimus, ſe militem alterum in diem con-

di-

dixiſſe, ut interea de apto conſilio apud ſe agere, & præparare nonnulla, commode poſſet. Aliquo poſtmodum tempore elapſo, Medicum ipſis narraſſe, quidnam conſilii iniiſſet, quemque effectum id habuiſſet. Virum, quippe copioſo oleo primum impletum, fune, ope Trochlearis ad lacunar firmato, pedibus extolli in altum per aptos ad id viros curaverat; quo in ſitu, motuque, tandem in vomitum excitatus, nummos cum oleo vomuerat, moxque omni & anxietate, & dolore, expers erat. Filia egregii hujus Medici, Matrona ſinceritate & Religione Patri par, *Hagæ-Batavorum*, dum viveret, ſpectatiſſima, & veriſſimam hanc Hiſtoriam eſſe, affirmabat, & ſe eam a Patre conſcriptam, poſſidere.*

Ergo

* Quamdiu nummos in ventriculo geſſerit miles, ignoro: poſſe diu cum manere in eo, tum evomi

Ergo ex tot argumentis patet Viri magni *Senaci* Sententiam minus veram esse; & si aqua deglutita esset, subversi corporis agitatione evacuari eam posse. Variantibus, quod toties mirati sumus, experimentis, negare ultra non auderem enormi aquæ sarcina inundari ventriculum posse. Quo in casu duplici modo hæc operatio

tandem ejusmodi res, & Historia Medica docet, & proprio experimento didici. Contigit mihi Anno 1751. Mense Januario, ut ad puerum triennem vocarer, qui crassum, eumque æneum, nummum ludendo deglutierat, quemque aptus a me vocatus Chirurgus nulla industria eximere ultra poterat. Interea multa oleosa per os immissa, perque anum, sunt. Plurimum anxius per octiduum puer, paulatim minus male habebat, iterumque ventriculus commode admittebat alimenta, solida tamen ægrius, quam fluida; quare his solis bimestri vixit spatio. Die tandem sexagesima sexta, cum ab assumta pulte in tussim adeo vehementem proritatus esset, ut subverteretur ventriculus, una cum pulte nummus prodiit, quem totum nigrum, non multum erosum, vidi.

tio conferret. Sed inundetur ſic nunquam; an ad vires vitales reſuſcitandas minus valentiſſima erit? Quapropter hanc ipſam operationem, quam inter mea tentamina jam aliquoties Lectores mei benevoli notarunt, in futuris attentus proſequar, & ſingulis adhibebo. Videtur enim, prætermiſſo etiam ventriculo, pectus tam potenter concuti, ut ſi qua aqua, trachæam ſubeuns, in ſpumam cum aëre converſa ſit, violenta hac ſubverſi corporis concuſſione moveri quandoque, expellique poſſit.

§. III. *Laryngotomia* nunc examinanda ſerio eſt. Inutilem hanc cenſuere ii, qui neque inſpiratam aquam eſſe, neque impeditum aëris per Glottidem iter, ſtatuerint. *Dethardingius*, cujus opus in hac quæſtione ſæpius laudatur, non quidem ex propria obſervatione, at vero *Plateri*, qui nunquam

quam deglutiri aquam; *Wepferi*, qui aquam nunquam inſpirari; & *Wallſchmidii*, qui nunquam aut deglutiri illam, aut inſpirari, docuerant, autoritatem veneratus, Laryngotomiam, ut Princeps ſubmerſorum auxilium laudavit; ſpasmodice Laryngem Epiglottide claudi, eodemque modo Pharyngem, ut in neutram illabi aqua poſſit, arbitratus. Hanc autem operationem ad aërem inſpirandum minime faciendam cenſebat eſſe, verum potius ad eundem educendum, qui hic nimis rarefactus, commiſtioneque cum exhalante ac tranſſudante Pulmonis materie in ſpumam verſus, circuitionem humorum per pulmonem ſiſteret; quo aëre ſpumoſo educto, novus, isque ſerenus aër, permeare denuo viſcus poſſet. Hanc *Dethardingii* opinionem, cui cura ejus omnis innititur, conſtans in ſingulis

Submerſis obſervatio de ſurrecta Epiglottide, precariam oſtendit. Epiglottis enim ſi ſemper ſurrigit, aëri expirando eſſe impedimento non poteſt. Deinde enarravi, nos fruſtra ſpumæ hujus ex Larynge exemtionem tentaſſe, cum aut craſſior ſit, quam ut ſyphonis ſpiraculis imbibatur, aut ſitu profundiore hæreat, quam ut ad illam inſtrumentum pertingat. Tandem ſæpe nulla ejus in Trachæa portio deprehenſa eſt, in Bronchiis omnis contenta. Experimenta quater repetita Tomo XIII. & in hocce renovata, id oſtenderunt.

Contra vir expertiſſimus *Weſzpremius in Obſ. Medicis, Trajecti anno* 1756. *editis, in Obſ.* 8. §. 2. in Viri Epileptici, frigidum balneum ingreſſi, inibique ſubmerſi, ac bihorio jam aëri expoſiti, cadavere, aquam quidem nullo in viſcere deprehendit, ſed ex Tra-

chæa

chæa perforata aërem leni quodam ſibilo erumpentem, ſe audiviſſe exiſtimavit. Hinc in Demerſis Trachæotomiam neceſſariam eſſe confecit; & *Obſ.* 9. in dato ſibi homine, quem *Tameſis* fluvius ſesquiquadrante merſerat, eandem ſe cum reditu hominis in ſanitatem, perfeciſſe gloriatur.

Quæritur tamen an huic Operationi Vitæ redditionem abſolute cum Autore debeamus? In ea intendamus duntaxat, quæ eidem prægreſſa leguntur. 1mo Corpus quo momento in ripam ducitur, madidis exui veſtibus, totum detergeri, ſiccisque indumentis indui, ſolerter curat; quod dudum inter ſelecta auxilia merito recenſuimus. 2do In proximas ædes defertur demerſus, & ante focum incenſum lecto ſic committitur, ut pedibus capite altior ſit, atque rite contegatur. 2tio Utroque in brachio,

inque Jugulo, vena ſecatur. 4to Fumus Tabaci fiſtulæ ope repetitis vicibus validiſſime in anum immittitur. 5to Abdomen forti compreſſione a pube ſurſum urgetur. 6to Pannis Spiritu vini tepido, oleoque olivarum madefactis, omnes, a ſummis ad imas, Vertebræ, lenius primo, mox violentius, diu multumque fricantur. 7mo Eodem tempore alii hoc ad infernos ſupernosque artus, in ruborem usque faciunt. 8vo Aceti, ac ſpiritus Vini, Cinamomi, Nucis Moſchatæ, Caryophylli aromatici, ac Camphoræ viribus medicatorum, fotu ſcrobs Cordis, Umbilicus, & Scrotum, refocillantur. 9no Nervos narium, Tempora, ſingulaque loca Corporis, in quibus arteriæ cuti viciniores locantur, Spiritu ſalis ammoniaci fricant, horamque integram, citra vitæ ſigna conſpecta, hiſce laboribus impendunt.

Tan-

Tandem 10mo irritationem maximam fecerunt rudi, ſi unquam, Bronchotomia; quandoquidem, inſtrumentorum defectu, integumenta Trachææ, & ut ait, muſculos, cultro communi avulſerunt, fiſtulam tabaccariam, deficiente Cannula, in aperturam intruſerunt, guttulas aliquot Aceti, Spiritusque ſalis ammoniaci, vulneri inſtillarunt; atque tandem ſub extemporali hac operatione obſcura vitæ ſigna, paulatimque manifeſtiora, animadverterunt, ac poſt hæc animadverſa, priora tentamina præcipue repetiverunt; ſic ut bihorii labore hominem in plenam vitam reſtitutum gauderent.

His ita per omnia conſideratis, quæritur jurene, an injuria, ſtatuerim Laryngotomiæ, non qua tali, ſed qua irritationi crudeli, una cum ceteris maſculis irritamentis, hanc la-

tentis vitæ reversionem adscribi oportere? Judicent experti, & gnari rerum! Non is tamen sum, qui hanc Operationem absolute rejiciam. *Veszpremii* exemplo, sed citra alia auxilia, eandem in animalibus repetam, quid sola efficiat consideraturus: repetam quoque cum auxiliis reliquis, tanquam irritationis complementum.

De ceteris auxiliis non est, quod disputem: calculo suo omnes per Europam Medici approbant, eorumque in resuscitanda, quæ latuerat, vita, effectus laudant abunde. Enumerantur hæc in *Regio Edicto* 1. *Julii anni* 1769. & in hoc opere pluribus aucta, sæpius enarrantur.

§. IV. Suspensorum quæstio satis agitata fuit pag. 110. ut multum dubium post se reliquisse non videatur. Id unice ex eadem conficiendum esse puto, quod neutiquam mirum sit adeo

va-

varios, adeo sæpe contrarios ejusdem effectus ennarrari. Citra Cadaverum inspectionem, mortem illam, quæ Apoplecticorum est, eam & Suspensorum esse, ex vera Theoria multi facile crediderunt; cùm suspensorum autem anatome, alii ablato, ut fit, laqueo, de mortis natura judicantes; illæsam alii, alii confractam Asperam arteriam invenientes; alii ex insolentiore suæ Regionis Carnificina de omnibus judicantes; variamque admodum plagam Colli, quam strinxerat laqueus, alii contemplati, rem denique definierunt sic, ut qui aliter, ipsis perperam scripsisse viderentur: perinde ac si quod in unico, vel quod in paucis saltem, hi invenissent, idem in omnibus fieri oporteret. Imprudenter profecto hi: modus suspensionis enim, & mora ejus, & corporis pondus, & violenta capitis pronatio, ip-

ſeque aut conſtringens adhuc, aut relaxans laqueus; ſitus præterea cadaveris, colli, capitisque, dum, manente laqueo, Anatomicum examen fit; tempus a ſoluto laqueo elapſum; præmiſſio aliarum partium Anatomes ſanguinariæ, ante luſtratum Encephalon; imperfectum, ut noſtri hominis erat, ſuſpendium; & forte multa alia; rem mutant ſic, ut quidem ſinguli vera ſuo modo ſcribant, ſinguli autem, id quod invenerint, & ſemper, & ubique, & ab omnibus, inveniri oportere, arbitrati, turpiter profecto errent, imponantque lectoribus. Haud ſatis memores videmur Autoris eſſe, cujus præcepta nos juvenes impenſe delectabant, elabi memoria nobis ſenioribus ſolent; ingentem *Harvæum* loquor, *Edit. Lond. anni* 1766. *pag.* 126. ſic dicentem: „ Ego aliquando in „ Cadavere humano noviter ſtrangu-

„ lato

„ lato *intra duas horas a ſuſpenſione* aperto
„ pectore, & pericardio, antequam
„ faciei rubor evanuerat, auriculam
„ dextram cordis, & pulmones, plu-
„ rimo diſtentos & infarctos ſangui-
„ ne multis adſtantibus oſtendi,
„ præcipue vero auriculam ad maxi-
„ mi hominis pugni magnitudinem,
„ turgentem adeo, ut disruptum iri
„ putares. Quæ moles *die ſeqnente* re-
„ frigerato penitus corpore, & per
„ alias vias cruore dilapſo, detume-
„ ſcens evanuit." Et *pag*. 39. „Qua-
„ liter ſanguis pertranſire per omnium
„ partium poros poſſit, ne durum
„ hoc videatur, & quaquaverſus
„ meare, unum addam experimen-
„ tum. Laqueo ſtrangulatis & ſu-
„ ſpenſis accidit idem, quod brachio
„ ligato; ut trans chordam ſcilicet
„ facies, oculi, labia, lingua, par-
„ tesque omnes ſuperiores capitis,

„ plurimo infarciantur ſanguine, ma-
„ ximo rubore perfundantur, turge-
„ ſcentia usque ad livorem. Hujusmo-
„ di cadavere, ſoluto laqueo, quacum-
„ que poſitione collocaveris, intra
„ non multas horas videbis omnem
„ ſanguinem vultum & caput deſe-
„ rere, & a ſupinis & ſurſum poſitis
„ partibus, in pronas & ſubjectas,
„ per poros cutis, carnis, ceterarum-
„ que partium ſuo quaſi ductum pon-
„ dere, decumbentem, & omnes il-
„ las partes infra poſitas, & cutem
„ potiſſimum, replentem, atro tabo
„ colorare."

Sed de ſuſpenſis forte ſatis. * Ill. Vir *de Haller El. Phyſ. Tom.* 3. §. 19.

„ Stran-

* Haud in Suſpenſorum modo, verum etiam in ſingulorum Cadaverum ſectione, in quibus morborum cauſas & effectus expiſcari conamur, hæc *Harvæi* monita menti obverſari debent. Sed ultra addi aliquid decet. Non ea enim notanda

,, Strangulatorum hominum huc, ,, (ad ſubmerſos,) non pertinent, ,, qui poſt ſatis longam moram reſo- ,, cillantur. Eos enim homines faci- ,, le crediderim apoplexia potius, ,, quam ex intercepto ſpiritu perire. ,, Stupent certe, colores vident pri- ,, mo vividos, inde tenebras meras. ,, Minus ergo mirum eſt adeo frequen- ,, ter convaleſcere, reſecto fune, ve- ,, na inciſa. *Florentiæ* adeo vulgo re- ,, dibant ad vitam, ut neceſſe fuerit ,, mutare mortis genus, & vertebras ,, luxare. Non tamen admittunt expe- ,, rimenta mea, laqueum organis re- ,, ſpirationis. Non nocere. Nam vi- ,, di funeſtum funem inter Cartilagi-

,, nem

ſolummodo eſt, quæ a morte, ob cauſas quascumqne, contingere mutatio poſſit, ſed & illa, quam, ante mortem, in parte affecta efficere medicatio debuerit, ut haud ultra talis hæc ſit, quam alias fuiſſet.

„ nem ſcutiformem, & os hyoidis,
„ in Pharyngis caveam irrupiſſe: vi-
„ di Cricoideam cartilaginem a bron-
„ chio ſeparatam fuiſſe: vidi ruptam
„ ſcutiformem, ut ſuperior pars ſur-
„ ſum diſtraheretur, inferior deor-
„ ſum, & ſimilia noſtrorum alii celeb.
„ Viri, *Weiſse*, & *Mauchard*, vide-
„ runt.

Integrum magni viri textum laudare volui, ut pateat eum non ita mortem ſuſpenſorum mere Apoplecticam eſſe cenſere, quin & per ipſa ſua experimenta eandem peripneumonicam eſſe invenerit. Quod autem laquei locum exacte, ut in noſtro ſuſpenſo deprehenſum, ad aëris interceptionem tantopere contuliſſe credat, facile cum illo etiam in noſtro homine credidiſſem, ni enormis, ut totius hominis, ita & præcipue, colli craſſities, ſtringentis hoc modo funis preſſio-

ſionem profundam in Laryngem impediviſſet.

Ceterum hominum ſuſpenſorum, demerſorum, & ſuffocatorum, Anatomæ minus longe fidam, eo quod vehementer eos mutet tentata vitæ revocatio, quam illi Canum meorum, quos protinus a morte, cauta quavis mutatione, aperui. Quæ mihi ſcitu neceſſaria, eaque haud ſane pauca, deſunt, ea ſimili partim, partim novo prorſum modo, expiſcabor.

Sufficiat id conſtitiſſe, quod ad vitalem auram, in iis reſuſcitandam, haud aliam methodum, quam quæ & demerſis, &, quod ſuo quoque tempore forſitan demonſtrabimus, ſuffocatis, admovere ſolemus, admoveri oporteat. Quæ ſi his ſingulis mature, apte, conſtanterque adhibetur, nullus dubito, quin & vera ea eſſe pateant, quæ ſcripto nobis reliquerunt

runt Majores noſtri, quibus cordi proximior, quam nobis, erat publica ſalus; & quæ duo Medici, *Zachias*, & *Anonymus*, Romanus alter, alter Anglus, hic de ſuſpenſis, ille de ſubmerſis & ſuffocatis, teſtati ſunt: ac poſterior quidem, de quo *Verulamius Edit. Francof. pag.* 560. „ Audivi etiam „ de Medico adhuc vivente, qui ho„ minem, qui ſe ſuſpenderat, atque „ *per horam dimidiam ſuſpenſus manſerat*, „ in vitam *fricationibus & balneis calidis* „ reduxerat; quique etiam profiteri „ ſoleat, ſe non dubitare quin ſu„ ſpenſum quemcumque *ad tempus* „ *prædictum* revocare poſſet, modo „ cervices ei, per impetum primæ de„ miſſionis, non fuerint effractæ: " prior autem *Paulus Zacchias* Romanus, totius ſtatus Eccleſiaſtici Protomedicus generalis, *Tom. III. Quæſt. Medico-Legalium, Conſil.* 79. *pag.* 127. *Edit.*

No-

Norimb., ubi respondendum erat Reverendo Monacho, qui juvenis submersi in vitam revocationem indubitanter miraculosam, bonique servi DEI cujusquam precibus adscribendam, acriter contendebat; primo advertendum esse monet, juvenem multas mucositates, & aliquam aquæ copiam, post quatuor consequentes horas ore emisisse, de quo cum testes non convenirent, utrum ante edita prima vitæ signa, an post eadem animadversa, contigisset; „ Quomodo-
„ cumque tamen sit, inquit, certum
„ esse debet non modo hoc miraculo-
„ sum non esse, sed neque inter ea
„ eventa commemorandum, quæ
„ multam admirationem audientibus
„ excitare consueverunt: quippe cum
„ pateat alios permultos... cum in
„ aquis vel alia ratione suffocati es-
„ sent, revixisse.

CA-

CAPUT VIII.

Reſponſio ad graves duas Objectiones.

§. I. *Objectio prima ex multarum gentium Annalibus formatur, plures in vitam revocatos memorantibus, qui horas, qui dies, ipſasque ſeptimanas, latuerant ſub undis. Alteri objectioni materiem ſuppeditat vita, ſive cum modicis omnino, ſive admodum procraſtinatis auxiliis, reparata. Multiplex ad utramque reſponſio.*

§. I.

Finem operi imponere licuiſſet, ni una alterave diluenda objectio fuiſſet, cum momentoſa utraque videretur; citraque aptum reſponſum, ſpectatiſſimorum in arte Virorum fidem, autoritatemque, a me labefactatam in hoc opere eſſe, haud pauci,

ci, nec immerito plane, conqueri possent.

Dixi quippe, repetivique, sperabilem salutem fore, quando primo homo diu mersus in undis non fuit; secundo quando præceps illi præstatur auxilium. Jam vero qui, librorum Helluones, *Schenkium*, *Bonetum*, *Borellum*, *Helmontium*, *Pechlinium*, *Derhamum*, *Winslowum*, *Bruhierium*, *Ill. B. van Swieten*, aliosque scriptores gravissimos, consulerunt, ut præ ceteris fecisse videtur *Embryologiæ sacræ* Autor, *Franciscus Emanuel Cangiamila*, Ecclesiæ Panormitanæ Canonicus, Regnique Siciliæ Inquisitor, cujus *Libri tertii Caput* 20. 21. & 22. legi merentur attente, veluti omnis de hac re Historiæ Epitome; hi inquam, opponent mihi submersorum complures, qui horas, qui dies, qui plures etiam septimanas, hospitati in

aqua, & ex ea elati, vitæ ſigna dedere, perfectamque ſunt adepti ſanitatem; nec minus mihi exempla proferent promptæ in ſalutem reſtitutionis, etſi auxilia aut perpauca, aut tardiſſima, admota fuerint.

Non diffiteor comparari Sylvam Hiſtoriarum, quæ hoc probent, poſſe: verum mecum, precor, animadvertant hi, quam parum exactas hujuscemodi relationes eſſe oporteat, ſive determinatæ juſtò horæ præcipitationis in aquam, ſive moræ in illa, ſive elationis ex eadem, ſive denique auxilii primum adhibiti. Didici hoc in experimentis meis, dum ſcilicet quidam circumſtantium mihi, in horologium non attenti, tempus ſive ſubmerſionis, ſive cujusquam operationis, erronnee admodum, multoque plerumque longius, determinarent, quam ego, intuitus in horologium,

gium, quod unus idemque perpetuo, ad notandum in charta cujusque operationis tempus, consulebat, advertebam. Ignorat passim submersus, si redeat ad se, quo temporis momento in flumen ceciderit: ignorant justum momentum temporis ii, qui illum inde duxerunt in amnem, variantque in referendo, ut contigit me coram, per minuta, per medios, integrosque horæ quadrantes. Ita ut non nisi præterpropter illa admitti oporteat, quæ illi præterpropter conjecturando assequuti, testantur; in prolonganda, quam in abbrevianda tempora, passim proniores.

Secundo in hisce, quæ opponuntur mihi relationibus, insolita plane, atque stupenda, eaque non pauca, enarrantur. Cujusmodi est præservatio corporum a putredine, dierum, septimanarumque spatio; auditus sub

undis; mens ſibi præſens; reſpiratio commoda; inambulatio quingentorum paſſuum; fuſæ ad DEUM preces: in alio homine deſiderium perenne enatandi, ſed propter glacialem aquæ ſuperficiem fruſtraneum; poſt diem vero tertiam in gurgite transactam Vita ſana, vegetaque: in tertio, vita incolumis, integri ſenſus, corporis erecti demum ſtantisque ſitus, octiduo ſervatus in undis, cum ſequente hominis teſtimonio: „ Neſcio utrum in profundo reſpiraverim, viſum certe atque auditum „ retinui: nam & tintinnabula audiebam, & demiſſum ad me retrahendum uncinum apprehendiſſem, ſi manus frigore ſatis rigidas „ immobilesque movere potuiſſem. „ Piſces continuum & implacabile „ bellum oculis meis intulerunt, quorum inſultus palpebrarum motu de-

„ clina-

„ clinabam. Ad aquæ motum magnus insurgebat in auribus dolor, „ qui in ceteras corporis partes diffundebatur. * Per id tempus nunquam fame laboravi: arbitror autem me quandoque obdormivisse. „ Ceterum aliud nihil vigilans cogitabam nisi DEUM, propriamque salutem: aliorum saltem in præsentia non reminiscor. *Vid. N. C. Dec.* 3. *ann.* 5. & 6. Stupendior adhuc *Joannis Jonæ* in *Actis Suecicis* vitæ, per integros quadraginta & duos dies sub aquis conservatio, cujus meminit *Lancelottus Misc. N. C. Dec.* 1. Dum porro mihi adeo stupenda narrant, ut Miraculum rectius, quam Naturam sapiant, nihil prorsum video, quod me, secundum consuetas, obviasque

M 3 quo-

* Mulier servata *Viennæ* 1769. tormentum maximum ab aqua in aurem illapsa se passam esse quoque retulit. *Tom. XIII. pag.* 245.

quotidie Naturæ leges judicantem, condemnet. *

Eo minus me terret *Helmontii Hydrophobus*, quem ille a rabie canina sanatum salutavit, tripla in mare præcipitatione, & prima quidem tempore, quo quis *Psalm.* 50. *Miserere mei* præcaretur; altera, tertiaque, tempore *Angelicæ salutationis*. Si horologium consuluisset, ut ego in meis experimentis, accuratius nobis immersionis durationem tradidisset. Suspicor quoque, conjecturando illum potius, quam orandis his precibus, tempora determinasse; cum requisita ad preces attentio animum a spectaculo miro, quo unico occupandus erat, avertisset. Ut autem tuto quid hic definirem, deprehen-

* Licet sint, quibus quoddam valde naturale illis contingere videatur, qui in aqua & gelidissima, & superficiem habente glaciatam, mergunt; stupenda tamen, ac prope miraculosa, hæc vocare malim, eoquod neque ratione, neque exemplis, hanc opinionem fulciverint.

hendi me hunc Pſalmum duobus minutis abſolvere, & ſalutationem angelicam decies in minuto precari. Hinc adeo parum miror *Hydrophobum* in plenam vitam rediiſſe, ut, ſi periiſſet, miraturus fuiſſem. Nondum enim mihi hominis notum exemplum eſt, cujus, non diutius merſi, irrevocabilis vita fuerit.

De *Fabro lignario ſuo*, deque *commendabili a probitate Muliere*, quod idem Autor narrat, demerſionis tempus perbreve fuiſſe credibile admodum ſit, cum non determinaverit illud; certo determinaturus, ſi rei mirabilitatem augere diuturnior in undis mora potuiſſet. Et quia etiam neque de priore juvene demerſo, neque de poſteriore, quid notavit, niſi quod *FORTE per dimidium horæ ſubter aquam delituiſſent*, non percipio hic quidquam, quod mihi contrarium ſit, per me-

diam horam mersos nunquam accensenti desperatis.

Audiendi tandem & illi sunt, qui suspicantur, me immodica sollicitudine superstitem scintillam vitæ extinguere: quæ ego, eaque plerumque frustra, instituerim, tentamenta numerosa, quæque e contrario ab aliis modica, ac nulla fere, admota præsidia cum successu fuerint, serio contemplati. Neque plane, quod subterfugiam, est. Helmontii *Hydrophobum collocarunt supra vas teres supino dorso chlamyde tectum: suspicabar, inquit, illum obiisse, sed metum risit nauta, nam solutis vinculis cepit omnem muriam rejicere, QUAM INSPIRAVERAT, & mox revixit. Erat vietor Gandavensis. Qui dein rabie liberatus, sospes vixit.* De *Fabro maniaco*, qui e plaustro in profundum stagnum insiliens, & ereptus, sanæ mentis annis 18. postmodum vixit, non retulit latæ opis

mo-

modum. Quantum ad *Mulierem probam*, hanc ad vicinum pagum detulerunt, *In quo uxor hospitis illam in mensa prono situ, & capite declivi posuit. Factumque est, quod sic AQUAM IN PULMONE HAUSTAM demiserit.* Et de *Hannoniæ* montium adolescente, natatu submerso, refert nobilem Matronam, sui itineris sociam, eum prono situ super genua sua extendisse, *cumque flaccidus sic penderet prorsus nudus, cepit tandem, rejecta aqua, respirare, & revixit nobis adstantibus.* Tandem *unigenitus viduæ divitis filius*, quem Mater, gremio suo susceptum, amaro cum fletu osculabatur, jubente *Helmontio* in gremio ipso pronatur capite humerisque declivibus, & horæ elapso quadrante respirat. Quandoquidem porro negotio tam facili & in his, & in compluribus aliis, revocata vita fuit, & importunioribus meis labori-

 bus

bus rara obſervatur vitæ revocatio, annon hoſce vitæ præjudicioſos, illud vitæ proficuum, ſalubreque, cenſendum eſt?

At vero hos, qui mihi hunc ſcrupulum injiciunt, perhumaniter rogo, ut plurimorum in vitam revocatorum Hiſtorias retexentes, mecum in iisdem attendant differentiam in vitæ latentis revocamine, tam ſuſpenſorum hominum, quam ſubmerſorum; ſic quidem, ut nonnulli protinus reſpirent, loquantur, & ſurgant: alii vero tardius, imo nec niſi poſt horas plures, in vivis ſe eſſe teſtentur. Hæc porro ratio eſt, cur harum rerum gnari ſedulo hortentur, ne nos inanium principio laborum tœdeat, multos in vitam non revocari experti, niſi exantlatis plurium horarum laboribus.

Dein-

Deinde non satis perpendisse videntur, hæc laboriosiora, diuturnioraque, tentamina neque fieri, neque suaderi, ubi leviora, atque breviora, rem absolverint: ita ut si nostri homines, nostræque bestiæ, primo labore revixissent, quemadmodum de suis perhibet *Helmontius*, læti supersedissemus protractioribus.

Tandem si ea sic se habent, quæ Capite VII. de vulgari methodo, pedibus submersos suspendendi, in usum revocanda monui; modum submersis auxiliandi ab *Helmontio* relatum, ex valentissimis præstantissimisque esse, facilis dabo. Eam quippe rationem cum submersis agendi ibidem laudare debui, quæ omnium promptissima ac potentissima esset, ad aptitudinem respirandi Musculis abdominalibus, Diaphragmati, Costisque, conciliandam. Hanc porro esse Corporis subversi

verſi agitationem ibidem conſtitit. Eandem apud *Helmontium* tam nautæ, quam mulieres, proxime imitatæ ſunt. Vidit quippe ille, dum Corpus vel in dolium, vel in menſam, vel in gremium matris, ſic pronarent, ut pendulum caput cum thorace eſſet, aquam, quam ille quoque hauſtam pulmonibus eſſe credebat, ſic ore elabi, ut reſpiratio ſequeretur. Ut itaque cauſæ ingeminent, quæ inter futura experimenta hujus methodi exercitium præprimis explorare, promovereque, jubent.

F I N I S.







APPENDIX.

Contigit haud ita pridem caſus, qui Operi inſertus illud ornaturus fuiſſet: unde eum Appendicis modo operi jam abſoluto adnecto.

Duo Aulicarum Tapetum Curatoris famuli, veſpere ex Aula laſſi frigentesque reduces, ad nonam veſpertinam in parvum ſuum cubiculum ſe recipiunt, & poſito in eo vaſe cum prunis ardentibus, alter lectum ſtatim petit, alter in lecto legit ad 12. horam, extinctoque tunc lumine ad ſomnum ſe componit.

Mane neuter prodit. Unde ad horam nonam cubiculum aperiri jubet Curatoris uxor, ipſaque ſimul in-

trat. Vidit per denſum fumum ſingulum ſingulo in lecto famulum pene mortuum, vultu purpureum, ſpuma denſa ore obſitum, moribundorumque ſtertore reſpirantem. Vicinum Chirurgum *Heifeld*, actutum quæri jubet, cujus tiro primarius advolans, opem protinus præſtat; curatque ſuum Medicum *Rhein* appellari, eoque non inveniendo, ordine plures; quorum primus *Exp. Seredi* accedit, hora circiter undecima.

Chirurgus interim, dum Medicus expectatur, quæ debuit, quæ potuit, fecit. Cubiculum fumo adeo grave, ut pectore ipſe angeretur, aperta janua feneſtraque luſtravit; miſit utrisque ſanguinem, qui pleno jactu exſiliit; os, ipſum fumum ſpirans, aperuit; aquam cum Spiritu Cornu Cervi illi infudit, deinde jus carnis; & unum quidem in mænia, quæ Aula con-

contingit, duxit, alterum vero in cubiculo undique aperto, probeque lustrato, reliquit. Interea bihorio elapso, quem dixi Medicus accessit, qui mox clysma curavit injici ambobus, oleum multum primum ingessit, postea fauces plumula irritavit, ut vomitum provocaret; vomuit autem unus duntaxat, idque aliquo cum levamine. Tum & quinque lata Vesicantia admoveri curat ambobus, & omni bihorio uncias duas Aquæ laxativæ ingessit.

Dum autem Chirurgus principio solus, Medicus & Chirurgus postmodum juncti, hæc omnia perficerent, toto intermedio tempore continuo varias corporis partes, vario modo, varia fricabant materie.

Successit porro cura sic, ut is, quem in mœniis locarant, ad quartam ad se rediret, & loqui inciperet; ut qui in Cubiculo undique aperto jacuerat,

hora ſecunda vomeret, & hora tardius priore loqui intelligereque inciperet: ſic ut veſpere refecti ambo aliquid nutrimenti ſumſerint, ac noctem tranquillo ſomno transegerint. Ego tandem ſero veſpere rei certior factus, miſi Chirurgum Noſocomii, qui in illam inquireret: rediit convaleſcere referens utrumque.

Altero mane ambos vidi, & quidem eum, quem mox pleno aëri expoſuerant, hilarem, perque ædes obambulantem; alterum vero adhuc debilem, leviter febrientem, lecto inhærentem, nec reſpiratione libera adhuc gaudentem. Continuata autem Aqua laxativa, die eum tertio ſanum inveni, ambosque unice conquerentes de Veſicantium dolore moleſtiaque. Prior quidem altero die, cum dies Dominica eſſet, caſus enim die Saturni contigerat, Templum adivit, ſuam tamen teme-

temeritatem dolens, cum animo fere ibidem deficeret. Utrumque post triduum sanum vegetumque salutavi. Quæ in hac historia ipse non vidi, ex relatione utriusque, nec non ex ea Matris familias, Medici, Chirurgi, aliorumque, qui convolaverant, supplevi.

En rursum notabile, idque geminum, vitæ revocatæ exemplum, quo constat pauca minuta tantummodo defuisse, quin & signa vitæ omnis defuissent, & ambo hi, solito publicæ autoritatis more, anatomice lustrati, tumulatique fuissent, qui jam vero ambo, humanis DEO OBSECUNDANTE laboribus, mortis e faucibus erepti, perfecta sanitate fruuntur. Ejusmodi exemplis Vulgus demum intelliget, quomodo deinceps opitulari iis oporteat, qui vel, ut hi carbonum venenato vapore, quo hic multi quotannis,

nis, ut adhuc hac hyeme, e medio tolluntur; vel Vini in caveis fermentantis; vel clausorum dudum Puteorum exhalatione; aut perituri, aut jam periisse, videntur. Humanitas sui quemque officii monebit abunde; Religio compellet; Conscientia urgebit: si vero existerent, quos neque hæc sat potenter commoverent, hos saltem Regia munificentia, præmio viginti quinque florenorum quemvis remuneratura, qui vitam homini aut suffocato, aut submerso, aut suspenso, pene extinctam se revocasse juridico testimonio comprobaverit, quemadmodum in Edicto 1. Julii 1769. habetur, ut debitam operam hisce infortunatis navent, stimulabit.



ER-

ERRATA.

Pag. 33. lin. 11. post *notaveram*, adde *quæque*. Pag. 37. lin. 12. *vita* lege *vitæ*. Pag. 44. lin. 4. *nunquam* lege *unquam*. Pag. 55. lin. 9. *exprimentis* lege *experimentis*. Pag. 58. lin. 10. *optimns* l. *optimus*. Pag. 62. lin. 3. *gaudemus* l. *gaudeamus*. Pag. 63. lin. 1. *iterum* l. *iterumque*. Pag. 68. lin. 17, *glotidem* l. *glottidem*. Pag. 69. lin. 18. *egregrius* l. *egregius*. Pag. 70. in Nota *Bronchontomie* l. *Bronchotomie*. ibid *le vie* l. *la vie*. Pag. 109. lin. 17. *fir* l. *fit*. Pag. 128. lin. 3. *æquæ*, l. *aquæ*. Pag. 129. lin. 12. *dutem* l. *autem*: & post *intestinum* dele comma. Pag. 134. lin. ult. *udas* l. *duas*. Pag. 135. lin. 3. *dimidio* l. *dimidia*. Pag. 157. lin. 21. *religiosimus* l. *religiosissimus*. Pag. 159. in Nota, *iuterea* l. *interea*. Pag. 171. lin. 16. *respirationis. Non nocere* l. *respirationis non nocere*.

ERRATA

PARTIS I.

Pag. 8. Lin. 16. *nt* lege *ut*. Lin. 18. *eontinuæ* lege *continuæ*. Pag. 17. Lin. 4. *conſtitid* lege *conſtitit*. Pag. 43. Lin. 5. *nifi* lege *niſi*. Pag. 44. Lin. 14. *evacuantut* lege *evacuantur*. Pag. 54. Lin. 18. *minor-natus* lege *minor natu*. Pag. 62. Lin. 12. *cacochecticos* lege *cachecticos*. Pag. 74. *adipſo* lege *adipoſo*. Pag. 85. Lin. 7. *ipfo* lege *ipſo*. & Lin. ult. *qui* lege *quia* Pag. 87. Lin. 10. *poteris* lege *poterit*. Pag. 90. Lin. 19. *ſui* lege *ſua*. Pag. 91. Lin. 19. *upereſt* lege *ſupereſt*. Pag. 92. Lin. 19. *petechhis* lege *petechiis*. Pag. 155. Lin. 1. *batu* lege *batur*. Pag. 210. Lin. 13. *ur* lege *ut*. Pag. 224. in Nota *alcaleſeens* lege *alcaleſcens*. In eadem nota Lin. ult. *extginuendam* lege *extinguendam eſſe*. Pag. 232. Lin. 3. *Inſtitutionem* lege *Inſtitutionum*.